30,077/B

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30512815

ENCHIRIDION
MEDICUM
PRACTICUM;

SIVE

TRACTATUS DE MORBORUM PRAXI

(Cui ſubnectitur *Appendix* de Lue Venerea .)

IN QUO

Omnium Morborum Humano Generi Officientium *Nomina*, *Naturæ*, *Cauſæ*, *Signa*, & *Prognoſtica*, una cum eorundem *Curatione* breviter & perſpicue delineantur.

OPERA ET STUDIO

JOSEPHI JACKSON,
CHYMIATRI.

VENETIIS, MDCCLXXII.

Apud BERTELLA, ET PERLINI

In Bibliopolio Hertziano.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

304791

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

VIRO VERE DOCTO

D. LUCÆ RUDGELEY,

Medicinæ Doctori Expertiſſimo, Amico ſuo plurimum honorando.

S. P. D.

MUlti ſunt in Litterato orbe qui veritates *Medico Chymicas* ſtrenue propugnarunt, tu tamen (*Mæcenas Ampliſſime*) ſupra omnes Caput efferens, Te *Philalethen* Candidum, Inveſtigatorem ſerium & ſolidum; veritatum demonſtrationi innitentium te amatorem & vindicatorem, præ reliquis, demonſtraſti: cujus virtus omnigena, animi dotes eximiæ & ſupereminentes, cum a natura inſitæ, tum induſtria acquiſitæ, ampliſſimam tibi ſamam multa temporis vetuſtate indelebilem merito acquiſiverunt. Exquiſita illa *Phyſiologiæ* peritia, qua polles; & experientia *Phyrotechnica* qua duce tantarum rerum ſcientiam nactus es; arctiſſimo ſocietatis vinculo connexa, mutuas copias conjugunt, ut te *Spagyricum* verſatiſſimum, & verum *Philoſophum per ignem*, pleno ore prædicent; qui ex ingenii acumine, ratione conſummata, & accurata corporum mixtorum diſqui-

ſitione & reſolutione in qua exercenda jam *veteranus es miles*, jam olim, imo & hunc uſque diem, annuentibus omnium ſuffragiis, aptiſſimus deſigneris, qui judices quid noxium, quid ſuperfluum in quolibet concreto concluſum latitet. Tu ipſe inter mille unus es, qui ope ignis, & aſſidua in rebus *Chymicis* Encheireſi, *Machaoniam* noſtram artem, ad eam mirandam *Entelecheiam*, & ſublime perfectionis faſtigium evexiſti, ut jam inter Sydera fulgeat; & clariori Jubare corruſcans, non ſolum Ideas Morbificas diſpellere & profligare, ſed & ipſa morborum principia ſeminalia radicitus extirpare queat. Unde liquido conſtant Te illum eſſe *Archiatrum*, in quem omnipotens noſter Gubernator hanc dignitatem contulit, ut reliqui mortalium Te honore & reverentia (qua par eſt) proſequantur, tamquam Deo in *Regno Naturæ* miniſtrantem. Qua propter cum me ex officio tibi devinctum ſentirem, & etiam cum ſingularem & omnigenam tuam eruditionem, & egregias illas animi dotes, quarum ſupellectile multiformi inſtructus fueris, vehementiſſime deperirem, non potens eram memetipſum continere, quin libertatem hanc & audaciam mihi arriperem, ut Tibi, quoque nomini, haſce induſtriæ noſtræ & laboris aſſidui primitias humillime ſacrum facerem.

Cum itaque, (*Mecenas Ampliſſime*) ſerius animo volutarem cujus amicitiæ & Patrocinio rudem hunc ingenii noſtri fætum in lucem proditurum concrederem, nullus mihi, aut cogi-

tatio-

tationibus meis ſe afferebat Tibi par ; qui tam prolixo honore dignus, & de re litteraria tanta meritus fueris, ut Tu ſolus judex ſis idoneus, qui ſententiam feras de veritate noſtri inſtituti: eſt quod itaque Te humillime & obnixe rogatum habeam ; ut noſtræ huic temeritati facili ignoſcas, & Levidem ſe hoc Munuſculum benignus accipias, non quale vellem & optaſſem, ſed quale pro ingenii noſtri tenuitate offerre licuit; non Rhetorices pigmentis illitum, (nos enim verborum floſculos præ oculis non habuimus; ſed nudam veritatem experientiæ innitentem ingenue tradidimus) hac tamen ſpe fultam quod ſi quæ perſpexeris σφάλματα pro conſueto Tuo candore & animi facilitate tacitus prætermittas, & me excuſatum habeas.

------ Proinde noſter hic libellus Tuis auſpicii innitens ſecurus publicis juris evadit; cujus tutelam ut amice ſuſcipias, humillime & obnixe rogat.

Humillimus tuus Servus
JOSEPH JACKSON.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

Lector Benevole.

NE *cuiquam ſit mirum quod & nos etiam* Æſculapii *tumulo officia noſtra præſtemus, nec temerarium cenſeatur quod noſtra conamina in* Criticorum *manus demittere non dubitavimus; neminem enim latet, quod optimorum ingeniorum ſcripta, licet maxime ſubacta & elimata, (ſpeciatin quæ hujus ſunt farinæ)* Criticorum *tamen &* Curioſorum *cenſuras rigidiſſimas ab Authorum Capitibus averruncare nequeant: non itaque novum quid & ſingulare vobis videbitur ſi ſubſequens hic* Tractatus *cum iiſdem incommodis conflictetur, quandoquidem apparatu familiari (licet non vernaculo) inſtructus, in publicum prodeat; & in duro hoc ſæculo, quo homines magis invidia & curioſitate, quam charitate & Veritatis amore percelluntur. Sed,* Jacta eſt alea : *Veſtræ cenſuræ nos non commovebunt, ſi quidem nos nihil aliud præ oculis habemus, quam ut humano generi (pro viribus noſtris) inſerviamus, libere aliis in communicando quod ex Indulgentia Dei nobis conceſſum eſt; quod ſi publico quicquid boni aut ſervitii præſtare queat, nos noſtrum finem aſſecuti ſumus.*

Nos

Nos tractatum hunc mole parvum tandem publici juris facimus, poſt multorum annorum obſervationem & praxin, de morborum Theoria *&* Curatione: *cum in hac arte prima jecimus fundamenta, pars* Pharmaceutica, *ſeu Medicamentorum præparatio, nobis maxime ardua & difficilis videbatur, licet nihil ſane exoptatius fuerat quam hanc bene callere; nec voti compos fueram, priuſquam aſſidua cura & labore, propriis ipſius manibus, in eadem inveſtiganda deſudaveram, pecuniæ etiam vi non modica in hoc opus erogata; & laborum quidem fructus uberes percipimus, licet alii forſitan nos parvi faciant, vel ex eo quod in propria encheiriſi exercenda tantam induſtriam & diligentiam adhibuimus: nos tamen* Pharmaciam Chymicam, *ejuſque notitiam accuratam, earum vanis ratiocinationibus, conjecturis ſpeculativis & jejunis, probationibus magis verboſis quam rem attingentibus, longe præferimus, potius eſſe autumantes nos totos addicere conſtanti & laborioſæ praxi in remediis* Chymicis & Galineſis *rite præparandis: ex qua rite celebrata cognitio defectuum & impuritatum quibus entia naturalia laborant, notitia morborum corpori humano incidentium, & adaptatio remediorum tutorum & efficacium, procul dubio dependent. Hæc itaque Medicamentorum rite præparandorum praxis nobis pro* Diplomate *habetur; nec in hac proſequenda ad ullam aliam metam collimamus, quam ut Medicorum tum Veterum tum Recentium, qui in experimentis Therapeuticis primas tenent, veſtigia prementes, eorum Doctrinam* Κατὰπόδας *ſequamur. Hi ſunt,* Hippo-

crates, Cariſtius, Galenus, Oribaſius, Libavius, Angelus Sala, Crollius, Quercetanus, Celſus, Minſichtus, Schroderus, Helmontius, Hartmannius, Sennertus, & Svvelſerus, *qui in ſua* Mantiſſ. Hermet. Præfat. *huic noſtræ ſententiæ palam ſuffragatur, dum ait*, Chymiam eſſe Artem nobiliſſimam, & Medico ſcitu ſumme neceſſariam, & includere Univerſam Philoſophiam Practicam. *Medici hi ſuo ſæculo celeberrimi, ut & plurimi alii (quorum numerum pæne infinitum in medium proferre non vacat curioſiſſimi erant hujus Scientiæ Inveſtigatores, & in Vegetabilium, Mineralium, &c.* Anatomia Vulcanica *verſatiſſimi; & ipſe* Gregorius Horſtius, *licet in* Galeni *verba juraverat, fatetur tamen Medicum ſine* Pharmacia Chymica *mutilum eſſe: ut in* Lib. 10. de Pharmaceuticis, *ejus verba ſic ſe habent*, Encomia *Chymiæ* non opus eſt ut hic recenſeam, quia verum eſt quod habet alicubi *Heurnius*, Ceſpitat jam profecto ſine hac arte Medicina. *Et* Matthiolus *in* Epiſt. *ita Sententiam fert*, Auſim dicere neminem Medicum Abſolutum eſſe poſſe, imo nec mediocrem quidem, qui in hac nobiliſſima deſtillandi ſcientia non ſit exercitatus. *In promptu etiam foret plurimos ex Medicis noſtris* Londinenſibus, *magni nominis & famæ, adducere, qui ſtrenue contenderunt, & etiam conſtanter hoc exercuerunt, ut omnia ſua Medicamina propriis ipſorum manibus præpararent & adminiſtrarent. Hoc pro certo habendum, quod qui vere Medicus expertus* Θέραπευτικον ἰατρὸς, *fieri velit;* Materiam Medicam, *ejuſque præparationem*

nem debitam, exactiſſime callere, neceſſe habeat.

Quod ſi ſemel conſequatur, patebit via, ad virtutes Medicinales omnium Pharmacorum *diſtincte dignoſcendas, & eorumdem* Adminiſtrationem *majori cum judicio regulandam, unde felicior ſucceſſus opus coronabit, & ægrotantis commodum Majori cum certitudine promovebitur*: Medicus enim eſt qui ſanat, non qui garrit: *nam & hoc mihi perſuaſum habeo, neminem poſſe* a priori *de morborum curatione ratiocinia certa & demonſtrativa inſtituere, niſi qui principiis ſolidis & firmis innitens, omnia quæque Medicamina, ope ignis, & manuum ſuarum operatione, accommodare & corrigere norit: quod qui rite peregerit,* Medicus eſt Meritis: ſed hic labor hoc opus eſt: *ſunt qui Corporum principia, Vulcano mediante, ab invicem ſegregare norunt, qui tamen in arte Medica meri ſunt Hoſpites; reſtat enim adhuc* Modus Conficiendi, *non citra laborem, addiſcendus; quo etiam ſatis explorato, nec & hic laboris finis eſt; debita adminiſtrandi Methodus, pro circumſtantiarum varietate, &c. res maximi eſt momenti, & ſcitu apprime neceſſaria; licet maxime ardua & difficilis: quod ſi cujus labores, noſtra hæc conamina, hac in parte, alleviare queant, nos nec oleum nec opram perdidimus: forſan in anguſtis hiſce ſchedulis comprehenſum reperiet Lector, quod per mille volumina longe lateque diffuſum ſpargitur: hoc tamen Lectori amico ignotum nollem, quod a trito & vulgari tramite ſæpe ſæpius receſſimus, & in Methodo medendi, & in remediis accomodandis, experientia nempe noſtra aliam moſtrante viam: quod ſi cui hæc noſtra Methodus*

thodus diſpliceat, nos noſtrum non urgemus, unicuique ſua libertate frui & uti libere concedentes.

Hoc tamen mihi certo polliceor, quod nemo nos ex eo criminis reos arguit, quod Tractatus hic noſter aliorum Scriptorum ſpoliis opimis refertus fuerit: quantum enim novimus, nos a nullo Authore clam ſurripuimus, ſi quid forte mutuati fuerimus, nos grato animo palam acceptum retulimus. Nos quidem Brevitati, ſed & perſpicuitati, conſulto ſtudendum duximus, ne nimia prolixitate Lectori (tot Authoribus, totque Scriptis pene oppreſſo) tædium pareret.

Habes itaque, Lector Benevole, ſuccinctum & dilucidum hunc Tractatum, quo duce viam carpas in morborum curatione rite expedienda, & arte Medica in tuum & ægrorum commodum dirigenda: quod ſane pro ſcopo & fine noſtro nobis ſemper propoſuimus.

Non verba faciam de Tractatu ipſo an Laudem an Vituperium mereatur judicet eruditus Orbis: Quod Reliquum eſt, candido Lectori Horatii verbis vale dicam.

------ Si quid noviſti rectius iſtis,
Candidus imperti, ſi non his utere mecum.

IN-

INDEX RERUM

Cap. 1. DE *Cephalalgia ſeu Dolore Capitis.* Pag. 13.
2. *Epilepſia & Vertigine.* 15
3. *Convulſionibus.* 18
4. *Apoplexia.* 19
5. *Paraliſi, Lethargo, Caro, Catalepſi, Tremore, & incubo.* 21
6. *Phrenitide, & Comate Vigili.* ibid.
7. *Melancholia.* 23
8. *Mania.* 24
9. *Catarrho.* 27
10. *Angina.* 29
11. *Pleuritide & peripneumonia.* 31
12. *Hemoptyſi & Empyemate.* 33
13. *Phtiſi & Tuſſi.* 35
14. *Aſtmate & Diſpnœa.* 39
15. *Palpitatione Cordis.* 41
16. *Syncope, ſeu Leipotymia.* 42
17. *De Inappetentia & Nauſea.* 44
18. *Appetitu Nimio.* 45
19. *Dolore Ventriculi, ejuſque Symptomatis, Ructibus, Colera, Inflammatione, &c.* 46
20. *De ſingultu.* 49
21. *Fluxu Alvi.* 50

22. *Dy-*

22. *Dyſenteria.* 51
23. *Dolore Colico.* 53
24. *Iliaco Affectu, Vulgo Paſſione Iliaca.* 55
25. *Ictero.* 57
26. *Hydrope.* 58
27. *Lumbricis.* 61
28. *Scorbuto.* 63
29. *Affectu Hypocondriaco.* 66
30. *Rachitide.* 67
31. *Affectibus Renum & Veſicæ.* 70
32. *Dolore Arthritico & Rheumatiſmo.* 72
33. *Febribus in Genere.* 74
34. *Febre Ephemera, & Synocho Simplici.* 76
35. *Febre Putrida, & Ardente.* 77
36. *Febre Hectica, Colliquativa & Catarrhali.* 79
37. *Febribus Intermittentibus.* 81
38. *Febribus malignis & Peſtilentialibus.* 84
39. *Variolis & Morbillis.* 87
40. *Chloroſi.* 91
41. *Menſium ſuppreſſione.* 93
42. *Nimium Menſium profluxu.* 94
43. *Paſſione Hyſterica.* 96
44. *Partu difficili; & reliquis Pereprarum Symptomatis.* 97
Append. *De Lue Venerea.* 100

CA-

CAPUT PRIMUM.

De Cephalalgia ſeu Dolore Capitis.

1. EST ſenſatio doloroſa orta a ſolutione continui infibris Nervoſis ſeu Membranis Capitis; eaque vel intus vel extra Cranium.

2. Si intus lateat, ſentitur dolor ad Radices Oculorum, exterior autem Capitis ſuperficies Moleſtiæ & doloris expers remanet; ſin autem ad externum tactum dolor ſentiatur, tunc extra Cranium hoſpitatur.

Dividitur etiam in tres ſpecies. Prima audit *Cephalalgia* quæ non uſque adeo inveterata eſt, ac ſecunda *Cephalea* quæ Hæreditaria & inveterata eſt, & integrum occupat Caput. Tertia *Hemicrania* quæ unum tantum Capitis latus afficit. Omnes hæ ſpecies cum eandem agnoſcant Originem, eandem etiam poſtulant curandi Methodum.

3. In *Cauſa* ſunt diſproportionatæ quædam particulæ ſanguinis, vel lymphæ, quæ cum Membranaceas & Nervoſas fibras pervadunt, eaſdem vellicant & diſrumpunt, unde Spiritus ibidem hoſpitati in Confuſionem rediguntur, &c. *Cauſæ procatarcticæ & accidentales* ſunt variæ, ut Caſus, ictus, fracturæ cranii, laboris vel frigoris exceſſus, abuſus ſex rerum non naturalium; intemperies *Uteri*, *Stomaci*, *Meſenterii*, *&c.*

4. Pro diverſitate materiæ peccantis variant Dolores vel enim ſunt *Punctivi*, *Pulſativi*, *Tenſivi*, *Stupefactivi*, *&c.* In *Pungentibus* acutis doloribus, Auſteræ particulæ in ſanguine hærent: in *Pulſativis & Tenſivis*, Sanguinis Maſſa nimium bilioſa & exaltata exiſtit, unde cum impetu fertur per meatus cerebri; & cum a ſubſequente ſanguine antrorſum prematur, præter naturales ſibi excudit vias, unde fit ſolutio Continui; quo caſu ſi ſuccedat *Hæmorrhagia Narium*, Morbum tollit. In doloribus *Stupefactivis*: vel ex-

excrementa cerebri non debite evacuantur, vel pituitoſum viſcidum aliquod acidum in vaſis hoſpitatur, eorumdem poros obſtruens &c.

5. *Cephalalgia* illa quæ inveterata eſt & hæreditaria, vel quam comitatur affectio *Hypocondriaca*, *Vertigo*, *Lues venerea*, vel *fractura Cranii*, difficulter (ſi unquam) curabitur; & quo provectior eſt ætas, eo pejus ſe habet: illa autem quæ *ſympatica* eſt, ſeu ex conſenſu oritur, raro removebitur, niſi prius tollatur Morbus eandem cauſans, quo demum ſublato ipſa ceſſabit.

(1.) Quod ad *Curationem* attinet, illa cauſas reſpicit; nam, in dolore Capitis pituitoſo tubuli cerebri obſtructi ſunt reſerandi; & viſcoſi etiam humores evacuandi veniunt. Conducunt in hoc caſu omnia *Sulphureo-Aromatica*, & *Volatilia Salina ſpirituoſa* & quo magis *Cephalica* & *Arthritica* ſunt, eo magis conveniunt. *Cephalica* maxime vulgata ſunt folia & flores *Roriſmarini*, *Pæoniæ*, *Beton. Majoran. Lilii Conval. Salv. Lavendul. &c.* Sin autem *Spiritus* ab his eliciatur & additis floribus recentibus *Spiritus* denuo ſex vel ſeptem vicibus cohobetur, & deinde addatur quantitas conveniens *Oleorum Deſtillatorum & Salium fixorum*: & omnia hæc ſimul Mixta cum ſ. q. *Salium Volatilium*. ut *Sucin. C. C. Cran. Hum. Sang. Hum. Urinæ*, *Fuligin.* & ſimilium; ſi, inquam omnia hæc ſimul *Circulentur & Deſtillentur*, ſuperlativa evadunt Medicamina, in omnibus affectibus *ſoporoſis*, reſerant enim poros cerebri, & obſtructiones vaſorum, propinata in vehiculis Morbum reſpicientibus; ut & ullum aliud viſcus in toto Corpore affectum ſimili modo deobſtruunt: interea dum hæc *Salia Volatilia Oleoſa* exhibentur una cum *Stomachicis*: ut *Semin. Carminat. Cariophyll. Macis &c.* Conducit quinto quoque vel ſexto die conveniens aliquod Catharticum propinare ad humorem Morbificum expellendum. Ex. gra.

1. ℞. *Pil. Ruff.* ʒß. *Rudit.* ℈j. *Sal. Succin. Volat. gr. iv. Ol. Deſtillat. Saſſaphr. Fanciul. aa. gut. iij.* f Pill. pro unica doſi, vel,

2. ℞. *Reſin. Jalap. gr. xiv. Sal. Cran. Human. gr. v. Ol.*

v. Ol. Cinamom. gut. ij. Conſerv. Flor. Betonicæ . ℈. *ij.* f. Bolus.

In intervallis purgandi conducunt etiam *Abſorbentia* quædam, ut *Cinnab. Nativ. Oc. Cancr. Antimon. Diaphor. &c.*

(2.) In Curando dolore Capitis *Bilioſo* acredo ſanguinis & nimius ejuſdem calor ſunt temperanda, quo Caſu convenit *Venæſectio*, ut & frigida & diluentia, & ſi deficiat ſomnus, vel Dolor ſit valde vehemens, addantur *Optata*: Rx. grat.

℞· *Aq. Cichor. primul. ver. aa.* ℔ß. *Spir. Sal. Dulc.* q. ſ. ad gratum ſaporem, *Gemmarum Roſ. Rubr.* ℥*ij.* f. Tinctura Collaturæ adde *Syr. Coral.* ℥*ij. Laud. Liquid. gut.* 60. Doſis ℥ij. vel iij. Conveniunt etiam *Emulſiones e ſemin. frigid.* quæ fiant affundendo *aq. Lajul. Beton. Roſ. Verben. Lil. Conval. &c.*

Prodeſt etiam Purgatio quo Caſu exhibend. *Pill. Lunar.* vel,

℞. *Elect. Lenitiv.* ℥j. *Pulv. ſanct.* ʒj. *Ol. aniſ. gut. v. Spir. Nitr. gut. x.* M. Externe conferunt etiam *Cucuphæ* quæ fiunt ex herbis & floribus *Cephalicis*, *Oleis diſtillatis*, vel *Spiritibus* mixtis cum *Linimentis*.

CAPUT II.

De Epilepſia & Vertigine.

1. EPilepſia eſt motus *Convulſivus* omnium partium corporis, una cum ſenſus & motus (pro tempore) Læſione.

2. Quando *Cauſa* primaria in Cerebro exiſtit, dicitur *Epileſia Idiopatica*; & quando a Stomacho, Utero, vel partibus externis dependet, dicitur *Sympatica*. Dividitur in *Cravem & Levem*, *Periodicam & Irregularem*, *Hæreditariam & Acquiſitam*.

3. Pars affecta eſt Cerebrum & Genus Nervoſum.

4. *Cauſa* eſt vitioſa & Acida quædam Lympha quæ cum ſpiritibus Animalibus copulata eoſdem in furorem concitat, & violenter ab invicem ſeparat, &c.

5. *Signa* Quæ in Capite ſedem habent ſunt *Torpor*, *Do-*

Dolor & Vertigo; in facie *pallor*, in Lingua *inordinatus motus*, & in mente *timor & horror*. Quidam ſubito in terram proſternuntur, quidam gradatim & pedetentim decidunt, & quidam ex parte tantum cadunt. Plerumque contrahitur Corpus; quidam denique alto addicti ſilentio horrendos edunt aſpectus; maxima tamen pars magno cum ſtrepitu ſpumam ex ore ejaculatur.

6. *Epilepſiæ* difficulter curantur, ſpeciatim ſi inveteratæ & *Idiopaticæ*, cum paroxiſmo longo & gravi, & quas comitatur involuntaria Excrementorum excretio &c. Sed ſi *Sympatica* ſit & non adeo vehemens nec inveterata, eſt curabilis, ſpeciatim in pueris, vel ante pubeſcentiam; ſin autem *Hæreditaria* ſit, & ceſſante paroxyſmo ſuperſtes ſit *Delirium*, ſola Mors (quoad novimus) levamen adfert.

7. In *Curatione*. Durante *paroxiſmo* Conſulunt Medici quod altis vociferationibus, ſtimulationibus, Crinium divulſionibus, frictionibus & Ligaturis excitetur Æger. Nos autem raro aliis inſiſtimus Mediis, quam quod Naribus admoveatur *Spirit. Salis Armoniac. Succinat.* Vel ore excipiantur *gut. viij. vel. x. Eſſent. Succin. vel Caſtor*: vel exhibeatur eorundem *tinctura* in Cochleari uno *Aq. Cinamom.* ore nempe vi divulſo. Extra *paroxiſmum* ſi ventriculus multis ſcateat fæditatibus, propinetur *Emeticum*; ſi *Plethora* adſit fieri poſſet *veneſectio*. Utcumque ſit, lenis aliqua Purgatio bis vel ter per ſeptimanam repetita conferi, cui ſemper addantur *Cephalica*, ut

1. ℞. *Extract. Rud.* ℈j. *Reſin. Ialap. gr. iv. Ol. Rut. Roriſmarin. an. gutt. iij.* fiant Pill. Numero 5. pro unica Doſi.

2. ℞. *Diaſen.* ʒj. *Sal. Volatil. Succin. gr. iv. Ol. Cinnamom. gut. ij.* f. Pul. Et Diebus a purgatione liberis utatur *ſalibus volat. Oleoſ.* in Capit. præcedent. præſcriptis; idque bis vel ter per diem in vehiculo aliquo appropriato, & quantitate æque larga ac patientis fert Natura. Vel

℞. *Aq. Lil. Convall. Pæon. aa* ℥iij. *Spirit. cranii Human. ſuccinat. Tincturæ Caſtor. aa.* ʒj. *Syr. e ſucco*

Ce-

Ceraſor. Nigr. an. ℥ij. miſc. ſumat Cochlearia ii. ſæpius . Omnia *Salia Armoniaca* multum conferunt, ut & illa *Lumbricor Terreſtr. Stercor. Pavon. Ungul. Alcis*, *Hirundin.* &c. Præterea quandoque etiam locum obtinent *Alkalla fixa quæ acidum* abſorbent , ut *Terra ſigill. Oculi cancror. Bezoart. Lunar. & Mineral.* præferuntur *Cinnabris & Nativa & Antimonii* . Ex. grat.

℞. *Cinnabar. Antimon.* ℥j. *Viſc. Querc. Rad. Pæon. Maris Cranii Human. Corall. Rubr. aa.* ℥ß. *Croc. Cinnamom. Caſtor. aa.* ℥j. f. Pulvis ſubtiliſſimus. Singulis ʒj. add. *Sal. Volat. C. C. gr. vi. Ol. Salv. gut. ij.* pro una Doſi. Pro vehiculo utatur aquis deſtillatis ex *Aromaticis* ſupra præſcriptis; *decoct. Lignorum* , *Phlegmat. ſanguinis*, *Lumbricor. Terreſtr. Hirundin.* &c. plurimum valent, quæ dulcorentur Syrupo aliquo *Cephalico* qui maxime congruit ægri palato.

Externæ *Cucuphæ* , vel *Emplaſtra* ex Herbis *Cephalicis & Aromatibus* utiliter ſatis applicantur ; magis tamen valent *Salia Volat. Oleoſ.* ſi debite applicentur; & noſmet ipſi experti novimus *veſicatoria* vertici capitis , & plantis pedum applicata multum feciſſe.

Empirica remedia ſunt *Hepata exſiccata Ranarum Luporum*, vel *Corvorum*, *Sang. Fel.* vel *Secundina Mulierum* , vel detrahantur ℥iij. vel iv. ſanguinis e brachio ægri, & ebibat calide.

Amuleta fiunt ex *Rad. Pœon. Aſa fœtida*, *Verben. Ungul Alc. cran. Human. &c.* Si *Epileſia ſympatica* ſit affectus illi & partes illæ affectæ ex quorum conſenſu originem trahit , ſunt maxima cum cura obſervanda & curanda .

Vertigio eſt levis *Epileſia*; unde eandem vendicat Curandi Methodum , & iiſdem cedit remediis quibus *Epileſia* .

CAPUT III.

De Convulſionibus.

1. COnvulſio eſt continuata & involuntaria Muſculorum Contractio, procedens ab interiori irritatione generis Nervoſi.

2. Si totum afficiat corpus dicitur *Tetanus*: ſi Corpus antrorſum inflectat, dicitur *Emprotoſtonus* ſi retrorſum, *Opiſtotonus*: ſi os contrahat, *Spaſmus Cinicus*, ſi Maxillam, *Triſmus*, *&c.*

3. *Signa* maxime variant: nam inter omnes convulſione correptos quos unquam nobis videre contigit, pauciſſimos obſervavimus iiſdem ſtipatos ſignis: quidam huc & illuc agitantur, quidam vociferant, quidam denique vocem edere nequeunt, ſed ſubito illis os contrahitur; quibuſdam particulare aliquod Membrum afficitur, ut *Oculus*, *Lingua*, *Brachium*, *Crus &c.*

4. *Cauſa* omnium *Convulſionum* eſt inordinatio & exploſio *Spirituum Animalium*, propter *Acidum*, vel acrem aliquam materiam partes quaſdam Syſtematis Nervoſi irritantem.

5. *Convulſiones* plerumque ſunt periculoſæ: ſi enim procedant a Vulnere, nimio *Hellebori* vel *Antimonii* uſu, a veneno aſſumpto, a febre prægreſſa, a nimiis vigiliis, jejuniis, &c. Ægri in maximo verſantur periculo: & ſi præterea *Convulſio* vehementer urgeat & corripiat *linguam labia*, *naſum*, *oculum*, parteſve vicinas, inſtat Mors, & incaſſum ulla adhibentur remedia.

6. *Curatio* hujus morbi coincidit cum illa *Epilepſiæ*, nam & in hoc etiam caſu conducunt *Cathartica* leviora, *Veſicatoria* (modo urgeat neceſſitas) *Emetica*, ut & *Phlebotomia* quæ omnia (niſi debilitas virium vel aliæ circumſtantiæ contraindicent) magno cum fructu uſurpantur: ut & omnia *Salia Volat. Oleoſa* (quæ in ſuperiori capite vel illud præcedente recenſuimus) quæ in omnibus *Convulſivis*, *Soporiferis* Morbis maxime conveniunt, qui-

quibus etiam maxima cum efficacia fomentantur vertebræ *Colli*, ſpina Dorſi, & in ſpaſmo particulari pars contracta; quod remedii genus nullatenus negligendum eſſe prædico: longe enim præferenda ſunt *Linimentis* ex *Oleis Expreſſis*, ſeu pinguedine *Auguillarum*, *Anſerum*, *Anatum*, *Canum*, *&c.* Sicut frequentiſſima nobis comprovavit experientia. Ex. grat.

(1.) ℞. *Cran. Human. ſuccin. aa. partes æquales*, exinde ope deſtillationis eliciatur *Spiritus*, *Sal*, & *Oleum*; cujus lib. ß. add. *Roriſmarini* ℔. j. *Ol. Cariophill.* ʒß. *Sal. tartari* ℔. ß. Deſtill. S. A. Hoc vel huic ſimile externe adhibeatur, quod & interne aſſumi poteſt in vehiculo aliquo *Cephalico*, vel (2.) ℞. *Ol. Terebinth.* ℥viij. *Succin. alb.* ℥j. *Ol. Vitriol.* ℥℔. f. Balſamum quod ſeparetur ab *Acido* & fæcibus, deinde eodem inungatur Æger, pro Judicio Medici. Sex res non naturales debite & cum ordine uſurpentur, ſpeciatim autem caveantur paſſiones Animi, Metus enim, Ira Amor, Mæror, &c. ſæpe in Morbis covulſivis paroxyſmum renovant.

Si convulſiones præcedant *febrem*, *variolas*, vel *Dentitionem* puerorum, ſæpiſſime ſua ſponte ceſſant.

CAPUT IV.

De Apoplexia.

1. A*Poplexia* eſt ſubita Senſus & Motus abolitio, ex qua Ægri (pro tempore) quaſi exanimes concidunt, nullo vitæ ſigno ſuperſtite niſi ſola *reſpiratione*.

2. Hic Morbus vel ſubito vel accidentaliter quaſi invadit, vel ſubſequitur morbum aliquem prægreſſum, ut *Epilepſiam*, *Lethargum*, *&c.* eſtque vel *vehemens & periculoſa*, vel *lenis* & *minus periculoſa*.

3. *Cauſa* proxima eſt extinctio vel profligatio Spirituum Animalium, orta a nimia Aciditate Sanguinis, vel viſcidiori aliqua pituita, poros Cerebri,

 vel

vel ejuſdem Nervos inſarciente ; vel a *Narcoticis* fortioribus vel Sanguine extravaſato, &c.

4. *Signa*. Durante paroxyſmo ; Æger ſomno obruitur, ſtercorem edit, reſpiratio eſt inæqualis & interrupta, imo (ſi *paroxyſmus* valde urgeat) vix percipi poteſt: & licet vellicetur, ſtimuletur & comburatur, omni ſenſu tamen privatur. Quandoque *paroxyſmus* eſt levior, & Æger ſtupore corripitur paulo majore quam in *Paraliſi*.

5. Si *Pulſus* ſit debilis, *Reſpiratio* difficilis una cum *ronchis*, vel ſi ſudores frigidi, ſtridores, & ſpuma oris vel ſaltem major horum pars *Apoplecticum* afficiat, vix unquam liberatur ; quod forſan contingat *Paraliticus* evadit: Si *paroxyſmus* ſit levior, pulſus fortior, & ſi poſt Sanguinis Miſſionem levamen ſequatur, ſalutis ſpes quædam affulget.

6. *Therapeja*. Omnibus nitendum eſt Mediis ad Spiritus Animales vinculis ſuis expediendos, obſtructiones meatuum removendo, &c. Ægrotus erectus ſedeat, manus etiam & Brachia, crura & femora fortiter fricentur ; *Sternutatoria* & *Errhina* fortiora Naribus indantur: vel:

Tinctura Viper. vel *Caſtor.* Mixta cum *Ol. Cariophyll* ori injiciatur: mittatur Sanguis e brachio vel vena potius *Jugulari*, ad Circulationem liberiorem promovendam, hoc ſtatim levamen adfert, ſi Sanguis vel Lympha Stagnans amoveri poſſit: *Enemata* etiam acriora injiciantur, quæ ingrediantur *Crocus Metallorum*, *Colocinth. Spir. Vin. &c. Emeticum* etiam uſurpetur, ſpeciatim ſi *Narcotica* Morbum induxerint. Sed in hoc caſu ut & in omnibus aliis ſemper reſpiciendæ ſunt ægrotantis Vires. Huc etiam ſpectant *Sulphureo-Aromatica*, & *Spiritus Salino Volatiles*, quorum in capite præcedente Mentionem fecimus. Vel

℞. *Spirit. Salv. Roriſmar. aa.* ℥vi. *Ol. Cariophyll.* ℥ß. *Spir. Cran. Human. Saccinat.* ℥ij. in quo digere *Cubeb. Zedoar. Nuc. Moſchat. Caſtor. aa.* ʒvj. Stent per dies aliquot deinde *decant*. Doſis ʒß. in Aq. aliqua *Apoplectica*. Conducunt etiam *Alkalia fixa* ad

Aci-

Acidum imbibendum, quibus add. etiam *Aromatica*. *Cathartica* hic locum habent quæ fiunt ex *Extract. Colocinth. Hellebor. nigr. Syr. è Rhamno Cathartic. Pill. duobus Pill. Rud.* & ſemper add. *Caſtor. Sal. Volat. Cran. Human. Fulignis*. Et *Veſicatoria* etiam & *Cucurbitulæ Scarificatæ nuchæ Coll* & *Cubitis* admoveantur.

CAPUT V.

De Paralyſi, Lethargo, Caro, Catalepſi, Tremore, & Incubo.

1. OMnes hi Morbi participant de natura *Apoplexiæ* & ſolummodo *gradu* non *Eſſentia* differunt; eandem etiam agnoſcunt Cauſam & eandem afficiunt partem.

2. *Cauſa* horum omnium affectuum eſt *Lympha* coagulata ſeu quodammodo vitiata vel ſerum, vel Sanguis extravaſatus, vel ſimilis quædam materia Heterogenea poros cerebri vel ejuſdem appendicis invadens, unde influxus Spirituum Animalium inhibetur, vel eorum radientes emanationes obtunduntur, &c.

3. *Therapeia* omnium horum affectuum ſpeciatim conſiſtit in reſeratione pororum *Cerebri*, & procuratione liberioris tranſitus *Spirituum Animalium*, unde utendum eſt omnibus quæ præſcripſimus in Curatione *Morborum*, de quibus hactenus egimus; omnia enim illa remedia ſimili modo & hic & in cunctis affectibus *Soporoſis*, uſurpanda veniunt.

CAPUT VI.

De Phrenitide, & Comate Vigili.

1. PHrenitis eſt inflammatio Cerebri & Membranarum ejuſdem, una cum *febre* acutiori; ſed *Coma* eſt ſine *febre*.

2. *Phreneſis* eſt vel *ſpuria* vel *vera*; *ſpuria* plerum-

que contingit in *febribus bilioſis*: *vera* eſt totalis memoriæ eradicatio adeo ut Æger omnia Oblivioni tradat; & hæc differt tantum *gradu* a *Comate*.

Adeſt irregularis Loquela, & puerilis luſus cum plumis, ſtraminibus, &c. Oculi videntur magni & excitati, ſunt etiam vertiginoſi, & delirant.

3. *Cauſa* eſt *bilis* maximè Volatilizata quæ ad Globoſam cerebri partem evecta Spiritus Animales accendit, in furorem & confuſionem concitat. Omnes Meditationes ſeriæ & profundæ, curæ, ſtudia, mæror, ira, &c. ſunt cauſæ antecedentes, quoniam *bilem* exaſperant, Spiritus Animales exagitant & accendunt, &c. Omnes dolores, ſi vehementes, poſſunt etiam cauſæ vicem ſuſtinere.

4. *Phrenitis* ſæpiſſime eſt Lethalis, præſertim ſi ſequentibus Symptomatis ſtipetur, nempe, ſtridore dentium, motu Linguæ & manuum tremulo, dejectionibus albis, Urina tenui alba, *Convulſionibus*: Stultis & Ludicris actionibus, ut plumarum collectionibus in lecto, &c. Sed ſi poſt ſtatum Morbi Symptomata minui videantur, maxima affulget ſpes.

Coma procedens ab Ira, labore, ſtudiis, ſollicitudine, &c. facili negotio curabitur.

5. *Therapeja Venæ ſectione* celebrata, injiciantur *Enemata* refrigerantia, idque frequenter. *Vomitoria* maxima cum cautela exhibenda ſunt, mitiora autem *lenitiva*, ut *Elect. Lenitiv. Diaprun. pulp. Tamarind. prunor. &c.* conducunt. Omnia *Aquea & Acida* valde ſunt efficacia in ſpiritibus debaccantibus compeſcendis & ad ſtatum naturalem reducendis. Ex. gra.

(1) ℞. *Aq. Endiv. Primul. ver. Roſar. aa.* ℥ij. *Spirit. Nitri gut.* 40. *Syr. papaveris Rhœad.* ℥j. M. vel

(2) ℞. *Aq. Acetoſell Lactuc. aa. iv. Syr. Diamor. Diacod. aa.* ℥j. *Spirit. Nitri Dulc. gut.* 30. M. Conveniunt etiam ad *bilem* temperandam *Emulſiones* factæ ex *ſemin. frigid.* cum aquis hiſce *Deſtillatis* vel *Aq. Hordei*. Externe *Anodyna refrigerantia* Capiti applicari poſſent, ut *Papav. Nymphæ lactuc. Germin. popul. primula ver. portulaca Cucurbita ſativa*, *Solanum*, *flor. Roſar. fol. violar.* quibus add. *Camphor.*

Moſch.

Moſch. Ambragryſea, & ſi opus ſit, *Opium*, Si hæc (ſupra præſcripta) non juverint, propinanda ſunt *Opiata* interne, ſpeciatim in *Comate*, ſed in *Phreneſi* caute exhibenda ſunt (ſemper incipiendo a minori Doſi) idque potius in *febris declinatione*, quam *augmento*.

CAPUT VII.

De Melancolia.

1. M*Elancolia* eſt Delirium ſine febre, ortum a Spirituum Animalium hebetudine.

2. Si ejus præcipua ſedes in Capite ſita ſit, dicitur *Cephalica*, ſi inferius in Abdomine, dicitur *Hypocondriaca*.

3. *Cauſam* in hoc conſiſtere autumamur, quod Spiritus Animales qui in ſeipſis ſunt maxime ſubtiles, & puriſſimi Tincturam quandam acidam recipiunt in fonte ſuæ Originis, unde hebeſcunt & quaſi Cæci & Caliginoſi evadunt, & cum adeo inertes fiant, in vias quaſdam devias incidunt, & quocumque ſe conferant ibi hærent ſaltem nimium ibidem morantur, unde oriuntur Monſtruoſæ illæ imaginationes, earumque adeo Diutina remanentia in Animis ægrotantium.

4. *Signa* præcipua ſunt *Timor*, & *Mæror*. Sed præterea adſunt quandoque & alia: quidam enim uberrimus fundunt Lachrymas, alii autem altos & pueriles tollunt Cachinnos, quidam ſeipſos imaginantur altiori gradu Locatos quam ipſos reges, dum alii ſe bufone viliores fatentur, quidam prophetas agunt, & omnia ſua effata pro oraculis tradunt, alii autem omne quod ore protulerint pro mendacio vendicant, multi ſe malo quodam genio præpoſſeſſos autumantur, & non deſunt etiam qui violentas ſibi injiciunt manus.

5. Hic morbus ſemper eſt Chronicus, & ſi *Delirium* adſit extremum, & inveteratus ſit morbus, raro aut nunquam emergunt.

6. *Curatio* conſiſtit in volatilizando Spiritus Animales & expediendo ab acido illo eoſdem obtundente & obfuſcante; in quem finem frequenter inſtituatur *Sanguinis Miſſio* ex venis Sedalibus & quandoque in Brachio, interea utatur æger *Sal. Volat. Oleoſ.* quale præſcripſimus dum de morbis Soporiferis agebamus. Subinde etiam *Emetica*) qualia vulgo ex *Antimonio* præparamus) bono cum ſucceſſu uſurpantur. Conducunt etiam *Enemata Præparativa*, quæ nempe *Catharticis* viam ſternant, ipſa autem *Cathartica* fiant ex *Extract. Hellebor. nigr. Extract. Colocynth. Extract. Rudii. Pill. de Succin. Tartari Diaſen. Hiera picra Elix. Proprietat.* fact. cum Tinctura *Antimonii* & propinat. a xx. ad Lx. gut. in *Elix. ſalut.* vel *Decoct. Epithymi*. Hæc autem vel ſimilia bis vel ter per ſeptimanam propinanda ſunt, proſunt etiam *Abſorbentia* ad Acidum imbibendum, ut *Oculi Cancrorum. Coral. Margarit. &c.* etiam Chalibeata, ut *Vitriolum Martis* & ejuſdem *Tinctura*; & *Tinctura Salis Tartari*, & *Antimon. Ens Veneris*, *&c.* pro vehiculis utendum eſt Decoctis vel Aq. deſtillatis *Fumariæ Serpill. Amaræ Dulcis*, *ſero Lactis*, *vel Aq. acidulis*. Cavendum in hoc affectu ne nimium inſiſtatur in uſu unius remedii (niſi univerſalis fuerit :) omnia autem ſupra præſcripta in uſum ſunt revocanda pro prudenti Judicio Medici, & morbi exigentia.

CAPUT VIII.

De Mania.

1. MAnia eſt *Delirium* ſine febre, ſed cum furore & præcipitantia, ortum a depravatione Spirituum Animalium.

2. Quod ad *Cauſam* attinet, nos *VVilliſii* ſententiæ calculum noſtrum adjicimus, quod nempe Spiritus Animales a benigna & propria indole in aliam malignam & depravatam degenerant, quæ maligna qualitas originem ſuam trahit vel ab ipſis Spiritibus Animailbus, ut ex paſſionibus violentis, terroribus, & ex

ſpe

ſpe rei alicujus deoptatæ ſubito & improviſo fruſtrata, vel ex morbis in cerebro præexiſtentibus, ut *Melancholia*, *Phrenitide &c.* Vel oritur hæc malignitas a vitio Sanguinis, ut quando Hæreditaria eſt, vel quando fermenta venenata Sanguini inſinuantur, ex morſu animalium Rabidorum, toxicorum quorundam aſſumptione, &c.

3. *Symptomata* vulgaria ſunt *Delirium* & *furor*. Sed & inſuper *Maniaci* maxime ſunt audaces & feroces, continuo vigilant, robore incredibili pollent, perferunt etiam intenſiſſimum frigus, plagas ſeveriſſimas, inediam ſummam, ſine ulla noxæ conſcientia; inceſſanter etiam ſimiarum emuli ludicros & pueriles exercent actus, ſemper ſcelus aliquod machinantur: & licet Mitiorem præ ſe ferant Indolem, niſi Durioribus manibus & vinculis coerceantur, indomiti evadunt.

4. Simili modo & in *Melancholia* & in *Mania* afficiuntur Spiritus Animales, facultas Ratiocinativa, &c. & ſæpiſſime hi duo affectus vices inter ſe invicem commutant.

5. *Mania* ſola raro eſt Lethalis, attamen nunquam non difficilis Curatu, ſpeciatim ſi Hæreditaria ſit, vel inveterata; vel ſi morſui Animalis Rabidi originem ſuam debeat: ſin autem leviora adſint Symptomata, *Febris*, *Hæmorrhagia &c.* & ſi recens ſit, facilius curatur.

6. Quod ad *Therapeiam* attinet. Æger rigidos quoſdam magiſtros ſibi præpoſitos habeat, quos formidet, & quibus parere aſſueſcant; amoveantur omnia alia objecta quæcumque quæ illi bilem movere apta nata ſunt. vel quæ vexationem aliquam inſignem producunt. Cuſtodes etiam & illi quorum ferulæ ſubjicitur, jucundo aliquo ſermone ejus animum divertant, & blandis pollicitationibus illum demulceant, dum mitior exiſtit: ſin autem extra oleas vagari incipiat, minas acerbiſſimas intonent. Cum tamen affectus hic Spiritualis ſit, & in fonte animali ſitum obtineat, alia prorſus ineunda foret Methodus Curatoria quam hic proponimus, adeoque hanc noſtram Methodum pro optima non vendicamus, ſufficit tantum hanc ſubſtituiſſe pro præſenti,

donec

donec demonſtratio magis evidens effulſerit in meliori illa methodo quam jam inſinuavimus.

Ad quam *Curam* incoandam fiat *Venæſectio* ſexto quoque vel octavo die reiteranda in venis *Hæmorrhoidalibus* Pede vel Brachio: *Vomitoria* etiam viciſſim repetantur; Ex. gr.

(1) ℞. *Ent. Vener. Tart. Emetic. aa. gr. viij. M.* pro unica Doſi: vel ſubſtituatur hoc *VVillſii*.

(2.) ℞. *Sulph. Antimonii gr. x. Cremor. Tartari* ℈ß. miſce Vel,

(3) ℞. *Vin. Hellebor.* ℥j. *Tart. Emetic. gr. iij.* miſce pro una Doſi.

Cathartica etiam quarto quoque vel quinto die alternatim intercalanda veniunt, ut

(1.) ℞. *Extract. Hellebor. nigr.* ℈ij. *En. Ven.* ʒj. *Tart. Vitriolat. gr. vj.* f. bol. Vel,

(2.) ℞. *Extract. Hellebor. nigr. pulv. Colocynth. Mercurri Dulcis, aa.* ℈j. M. f. Pill. pro una Doſi. Vel,

(3.) ℞. *Decoct. Epthymi* ℥iv. *Diaſennæ* ℥ß. Miſce: Nota bene omnia hæc evacuantia exhibenda eſſe cum reſpectu habito ad vires ægrotantis: hoc tamen obſervavimus quod *Melancholia* vel *Mania* affecti plerumque fortiora requirunt Evacuantia, & melius ferunt, quam in aliis affectibus, intervallis etiam Alterantia ſpecifica ſuas præſtant vices: omnium fere Authorum ſcripta hujuſmodi ſcatent præſcriptis; nos quæ maxime efficacia noverimus pro exemplis proponemus.

(1.) ℞. *Ent. Vener. Bezoard. Lunar. aa.* ℈ß. *Conſerv. flor. primul. veris* ℥j. fiat bolus.

(2.) *Regul. Antimon. Diſſolut. in Ol. Vitriol.* ℥jv. *Limatur. Chalybis* ℥j. quibus adde *Aq. Serpill.* ℔. ß. Diger aliquamdiu & deinde decant. Doſ. ℥j. pulveris autem ʒß. Vel.

(3.) ℞. *Spirit. Sal. Armoniaci* ℥iij. *Ol. Vitriol.* ℥ij. miſce guttatim. Doſis 60. gut. ſepius. Vel,

℞. *Ent. Vener. a* ℈ß. *ad* ℥ß. Hæc remedia exhiberi poſſunt in *ſero lactis*, *Aq. Acidulis*, *Decoct. ex. ſummitatibus Hyperic. Sangviſorb. Amar. Dulc. Violar. Borag. &c.* Si nullum horum levamen adferat, & deficiat

ciat ſomnus, uſurpentur *Opiata*, quæ fermentanda ſunt, & exhibenda una cum *Camphora*. Sunt & innumera alia remedia, ut *Sanguis Canis*, *Leporis*, *Hominis trepidi*, *Aſini*, *&c.* Sed ſi ex ſupra præſcriptis in uſum adhibitis nullum proſit, incaſſum alia adhibentur, nam deſperata eſt cauſa.

CAPUT IX.

De Catarrho.

1. *CAtarrhus* eſt affluxus lymphæ vitiate in ullam partem Corporis humani; dolorem & aliquando tumorem cauſans.

2. *Signa* ſunt affluxus ſeri ad Nares & oculos, ſternutatio ſtimulatio in *Larynge*, intumecentia *Amygdalarum*, quam ſubſequitur Raucedo, inſarctus *Bronchiæ*, *tuſſis*, & plerumque *febris*, quandoque hæc materia Catarrhalis tenuis eſt, acris, & bilioſa, inflammationes producens, & dolores acutos pungentes in diverſis Corporis humani partibus: quandoque, craſſior eſt, viſcida & pituitoſa, producens Hebetudinem; *febres intermittentes*, *Scorbutum*, *Hydropem*, *&c.*

3. *Cauſa* eſt nimium Lymphæ in Corpore extravaſatæ, quæ cum in partes membranoſas vel muſculares defertur varii Generis dolores excitat, prout nempe eſt vel *Acida*, *Salina*, *Acris*, *&c.*

Cauſæ accidentales quandoque accerſendæ veniunt a commeſtione intempeſtiva, compotatione inordinata præcipue autem ab externo frigore (maxime cum Lympha in fluxum concitatur) quo pori conſtipantur & tranſpiratio inhibetur.

4. Si materia hæc Catarrhalis parva Quantitate affluat, & nullam participet Acrimoniam, & ſolummodo in Nares decidat, facile Curatur: Sin autem extravaſata hæreat in *Maxillis*, *Amygdalis*, vel *Larynge* pejus ſe habet, ſed ſi in *Pulmone*, peſſimo in ſtatu ſunt Ægri, præcipue ſi Lympha copioſe affluat, & acris ſit, ſi Æger provectiori gaudeat ætate, vel ſi *tuſſi*; *Aſtmati*, *Phthiſi*, *&c.* obnoxius fuerit.

(1) *Curatio*. Si materia ſit tenuis & acris, & metuatur *Febris* imminens conducit in principio *Diaphoretica*, & *Bezoardica* exhibere : & pro potu ordinario.

℞. *Aq. Hordei* lib. *iv. Syr. Papav. Rhœados* ℥*iv. Ol. Sal. vel Sulph.* q. ſ. ad gratam Aciditatem : M. ex uſu hujuſmodi Medicaminum Ægrotans citiſſime reſtituetur, ſicut frequentiſſime experti ſumus,

(2.) Sin autem procedat a Lympha vitiata, vel ſtomaco impuro, & oppreſſo ex nimia Commeſſatione, perpotatione, & hoc in Caſu primo purgetur ventriculus ope *Emetici* alicujus, & lexetur Alvus ope *Elect. Lenitiv. Diaprun. &c.* vel ſi hoc ſerum extravaſatum uſque adeo ſit acre, ut *inflammationes*, *Rheumatiſmos*, *Anginam*, *Pleuritidem*, *&c.* producat admittenda eſt *Venæſectio*; & partes dolores affectæ foveantur cum *Sal. Volat. Oleoſ.* quæ & intus aſſumpta cum *Diacod.* vel pauxillo *Laud. Liquid.* plerumque curationem perficiunt : quandoque etiam *Spirit. Nitri Dulc* conducit.

Si materia ſit craſſa, hebetudinem Cauſans, &c. Omnia Volatilia penetrantia & acutis gaudentia particulis requiruntur : ut *Sinapi*, *Roſ. Solis*; *Rad. Ari*, *Enulæ Campan. Iridis*, *Fœnicul. &c.* & omnia *Alkalia* æque *Fixa* ac *Volatilia*.

Si ſeri ſtagnatio circa pulmones contingat, & exinde ſuffocatio aut pregravis infarctus oriatur, conducit etiam *Venæſectio* (quanquam & hoc remedii genus mihi non ſit Cordi) ſpatium enim parat reliquæ Maſſæ ad alacriorem circulationem peragendam, in hoc etiam Caſu non negligenda *Sal. Volat. Urinoſa* una cum *Gum. Ammoniac.* vel *Myrrha* ibidem diſſolutis . . Ex. gra.

℞. *Spirit. Fuligin. Succin. Sal. Armoniac. aa.* ℥*ij. Gum. Ammoniac.* ℥*j.* M. & exinde eliciatur Tinctura. Doſis ad gut. 40. in quolibet liquore convenienti. Convenient hic etiam *Abſorbentia* ut, *Oc. Cancror. Teſtæ Teſtudin. Bezoard. Antimon.* & ſimilia, quibus add. *Milleped. Lumbric. Terreſt. Salia Lixivialia*, & hujuſmodi alia quæ ſerum ſuperabundans evacuant, vel per *Diureſin*, vel per *Diaphoreſin*. Hæc

ſupra

ſupra nominata nullis fere remediis cedunt in *Catarrho* inveterato curando.

In *tuſſibus* utendum eſt *Balſamis* , *Oleis expreſſis* remediis *Mellitis* vel *Saccharo* impræguatis , & ſi materia tenuis ſit & Acris *Opiata* exhibenda ſunt . Maxima autem cautela adhibenda eſt ne nimium liberaliter inſiſtantur in uſu *Bechicorum* , præcipue autem opiatorum.

Externe *Cucurbitulæ* , *Veſicatoria* , *Fonticuli* , *Emplaſtra* , *Lavamenta* , *&c.* in uſum revocanda ſunt , ſed ſemper ex Conſilio prudentis Medici .

CAPUT X.

De Angina.

1. ANgina eſt inflammatio in Muſculis *Laryngis* & *Æſophagi* , *Tonſillis* , *Palato vel Maxillis* . una cum Tumore doloroſo, quandoque interno quandoque externo.

2. Dividitur in quatuor ſpecies.

(1) Prima eſt *Cynanche* , quando muſculi interni *Laryngis* inflammantur ſine magna intumeſcentia.

(2.) Secunda dicitur *Synanche* quando adeſt Tumor reſpirationi officiens.

(3.) Tertia eſt *Paracynanche* quando Muſculi externi *Laringis* afficiuntur ſine tumore apparente ;

(4.) Quarta eſt *Paraſynanche* quando inflammantur Muſculi externi faucium una cum tumore.

3. Signa ſunt *reſpiratio* & *Deglutitio* difficilis ; Rigiditas Colli , Dolores pungentes & comburentes (quaſi circa *Maxillas* quandoque etiam periculum ſuffocationis , & plerunque *febris*.

4. *Cauſa* eſt Sanguis commixtus vel ſaltem occurrens Lymphæ vitioſæ in meatibus ſuis arctioribus , unde evadit grumoſus , & tubuli obſtruuntur , adeo ut ſtagnatio inſequatur , & exinde fermentum aliquod aceſcens acquirat, unde manant *Symptomata* hactenus deſcripta.

5. *Angina* non magno ſtipatur periculo , ſed *Cy-*

nan-

nanche pejor eſt *Synanche*, & reliquæ duæ ſpecies minus ſunt periculoſæ. Si dolor ſit maxime acutus, & reſpiratio valde difficilis, præſens ferendum eſt levamen, ne æger morti ſuccumbat.

6. *Curatio* (ſi recens ſit Angina) conſiſtit in obſtructionibus reſerandis, motu Sanguinis reſtaurando, & ejuſdem Aciditate corrigenda. In quem finem (licet non ſimpliciter neceſſaria ſit) *Phlebotomia* in Brachio, Collo vel ſub Lingua, opem fert: Medicamina autem illa quæ nunquam non finem aſſecuuntur ſunt *Sal. Volat. Oleoſ.* Externe applicata, & intus etiam exhibita in vehiculo aliquo appropriato, vel mixta cum *Anodynis*; hæc enim non ſolum obſtructiones referant, Sanguinem coagulatum diſſolvunt, & fluiditatem ei conciliant; Lympham ſtagnantem vivificant (quaſi) & motui reſtituunt, ſed & ex eo quod vi *Diaphoretica* prædita ſint, materiam pecantem etiam expelunt: & ſanguinem mundificant, unde gravia illa *Symptomata* cito evaneſcunt, ſicut frequens experientia nobis dictavit: His add. *Salia Volatilia* ut *Spir. C. C. Fuliginis, Sanguin. Urin. Sal. Armoniac. &c.* Et gr.

℞. *Aq. Papav. flor. Sambuci, aa.* ℥iij. *Spirit. Sal. Armoniac.* ʒj. *Diacodii* ℥iß. M. ſumat cochlearia duo ſæpius.

Utatur etiam *Gargariſmatibus* qualia ſequuntur; ſi particulæ *Bilioſæ* Sanguinem invaſerint, Remedia *Nitrata* locum obtinent, vel miſceantur, cum *Urinoſis*, Ex. gra.

(1.) ℞. *Aq. Plantaginis* ℥iv. *Sir. Papav. Rhæad.* ℥j. *Spir. Nitri Dulc.* ʒj. Miſc. doſis ℥j. ſingulis bihoriis vel trihoriis, vel,

(2.) ℞. *Aq. Ebuli, Roſ. Rubr. aa.* ℥iiß. *Sal. Prunell.* ʒij. *Sal. Volat. Urinæ* ʒj. *Syr. e Roſ. Siccat.* ℥iß. doſ. ℥j. ſepius: vel utatur pro *Gargariſmate*.

Vulgus medicorum remedia *Repellentia* in uſum vocant, ſed caute ſunt adhibenda, præcipue ſi adſit malignitas: quod ad nos attinet, nihil adhuc vidimus quod par ſit *Salibus illis Volatilibus Oleoſis*, in *Angina* deſperata, præter enim plurimos effectus egregios hactenus

ſtenus memoratos, amovent etiam omnem malam Diſpoſitionem *Pulmonum*, quæ ſæpe auditrices admovet manus in *Angina* maligna ad ſuffocationem promovendam, qua de cauſa ocyus & ſæpius propinanda ſunt ne ex unius diei mora mors curam anticipet.

Externe Album Græcum una cum *Nidis Hirundinum*, fabricatum in modum *Cataplaſmatis* cum *Melle*, vulgare eſt remedium, ut & plurima alia Stercora & Urinæ: Ex. gra. *Hominum*, *Anſerum*, *Gallinarum*, *Equorum*; vis medicinalis ſine dubio conſiſtit in *Sale Armoniaco & Nitroſo*, quo referta ſunt: omnes Authores hæc Stercora miris extollunt præconiis: ſed nos frequentiſſime experti ſumus priora illa eſſe præſtantiora.

Quidam utuntur *Veſicatorii*, *Cucurbitulis*. *&c.* quæ multum proſunt. Vide *Platerum*, *Riverium*, *Sylvium*. *&c.*

Si primo die curatio non ſuccedat *Enema* inijciendum eſt, & *purgatio* inſtituenda (pro commodo ægri) & ſuperius præſcripto denuo iteranda ſunt.

CAPUT XI.

De Pleuritide & Peripneumonia.

1. *PLeuritis* eſt inflammatio *Pleuræ*, *Peripneumonia* autem *Pulmonum*, earumque membranarum.

2. *Signa* ſunt reſpiratio difficilis, febris acuta, dolor lateris Punctivus, & Lancinans; Tuſſis vehemens, primo aggreſſu ſiccior quidem, poſtea autem cum ſputo Spumoſo & Sanguineo. Quo magis hiſce quadrant ſignis, eo meliori jure legitima dicuntur. Diſcrepant etiam a ſe invicem quoad partem affectam, & gradus malignitatis: *Cauſa* tamen & *Cura* utrobique eſt eadem.

3. In *Cauſarum* claſſem adduci poſſet ſerum extravaſatum; plerumque autem *Cauſa* eſt Sanguis extravaſatus & ſtagnans, unde Acidum acquirit fermentum, inflammationem excitans, &c.

Cauſæ Caſuales ſunt *Pletora*, tranſpiratio inhibita, præcipue tamen quando Sanguis cum impetu meatus per-

percurrit, ut in exercitio violentiori, nimia compotatione, &c.

4. Si Ægrotans hoc morbo antea laboraverit, vel ſi *Aſthoma* præceſſerit, vel provectior adſit ætas, vel ſputum minuatur, imo plane ceſſet dolore remanente; vel ſi ſputum Sanguineum ſit, flavum, aut nigrum, reſpiratio maxime difficilis, &c. In omnibus, inquam, his caſibus res periculo non vacat: ſed ſi *Symptomata* minui videantur, & ſputum album & leve exiſtat, æger reſtituetur.

5. *Curatio* parum differt ab illa quam in *Angina* referebam.

(1.) *Sanguinis Miſſio* (pro viribus ægri) prodeſt: ſed ſi proſtratæ ſint vires; & adſit malignitas, inſtituatur ope *Sanguiſugarum*; vel penitus omittatur, & ejus vicem ſubeant *Cucurbitulæ Scarificatæ*.

(2.) Utatur æger *Alkal. Volatil.* qualia ſunt *Sali Armoniac. Spirit. Sanguin. Urin. Sal. Armoniac.* quibus add. *Anodyna* & *Pectoralia*, ut & *Diaphoretica & Alkalia fixa*, prout urget occaſio.

℞. *Aq. Cardui Hyſſop. aa.* ℥iij. *Syr. Papaveris Erratici* ℥iij. *Spirit. Sal. Armoniac.* ʒj. M. doſis ℥ß. Conveniunt etiam hic quæ in *Angina* præſcripſimus, & *Salia Volatilia Oleoſa*, nempe in declinatione morbi, vel ſi adſit malignitas.

℞. *Ocul. Cancror. Sang. Hirci Exſiccat. aa.* ʒij. *Bezoard. Mineral* ʒj. *Sal. Viperar. Vola.* ʒß. Miſce.

Si nulla adſit Malignitas add. *Laudanum Gr.x. Oculi. Cancrorum* decocti in vino, & *Priapus Cervi*, & *Sanguis Hirci*, multum laudantur. Si dolor in *Pulmonibus*, *Pleura vel Stomacho* permaneat poſt primum diem elapſum, exhibe *Spir. Nitr. Dulc.* & remedia *Nitro* imprægnata, ſed ſi *Vomitus* adſit vel *Diarrhæa*, caute exhibeantur. Si alvus non reſpondeat, injicienda ſunt *Enemata*, & ſub finem morbi etiam *Cathartica* tenuiora in uſum revocanda ſunt; ſed per totum curationis ſtadium *Diaphoretica* leniora maxime proſunt. Si ſputum ſit viſcidum & parva quantitate, caute propinanda ſunt *Opiata* vel ullo *inſpiſſantia*, ſed potius in uſu *incidentium* inſiſtendum eſt.

Ex-

Externe *Diſcutientia & Anodyna Emplaſtra Unguenta*, *Cataplaſmata* conveniunt, ſed in *Pleuritide* exquiſita omnium optime utimur Linteo in *Salibus Volatilibus Oleoſis* intincto, & parti affectæ applicato ſicut ſæpe ſæpius experti ſumus. Sed nimium non eſt fidendum hiſce *externis*, niſi & *interna* frequenter & ſedulo adhiebeantur. Pro vehiculis utimur *Aq. Deſtilat. Hyſſop. Card. Cichor. Borrag.* vel ſuccis ex iiſdem herbis expereſſis, vel ex *Teraxac. Papav.* etiam *Emulſionibus Aq. Hord.* qua etiam utimur pro potu ordinario una cum tantillo *Sal. Prunell.* vel *Spirit. Sulph.* vel *Nitri* guttatim inſtillat. Omnia *acria* & *acida* procul amovenda ſunt, & *cibi Diſpepti*: bene autem utimur *Panatela*, *Cremore Hordei*, *juſculo pullorum & cibis levioris digeſtionis*.

CAPUT XII.

De Hæmoptiſi & empyemate.

1. H*Æmoptiſis* (vel *ſputum Sanguinis*) de qua hic agitur, eſt eroſio vel apertio vaſorum Sanguiferorum ad pulmones pertinentium, quamquam etiam a Naribus, Palato, aſpera Arteria; Stomacho. Hepate, &c. oriri poſſet.

2. Si a pulmonibus proveniat, eſt ſpumoſum, floridum, & partitis vicibus eruitur, ſemper tamen cum tuſſi & ſine inſigni Dolore.

Si a maxillis, aſpera arteria; & partibus vicinis procedat, adeſt quidem ſcreatus ſed nulla tuſſis quod & ſenſu dignoſci poſſet, ſi a Stomacho & partibus vicinis procedat, potius evomitur quam exſpuitur.

3. *Sputum Sanguini* diverſimode *Cauſatur*, ut ſi nimia quantitas ſeri vel bilis fludæ fermentanti Sanguini admixta ſit, aut ſi acidum adſit, quod ſtagnationem & vaſorum expanſionem producit, unde partes tenuiores quadata porta ruunt. Et oritur etiam hoc Sanguinis ſputum ex nimia abundantia Sanguinis, motu nimis violento, & accelerato; tuſſi exquiſita, vulnere, caſu, &c.

Empyema, ſeu *Apoſtema pulmonum*, oritur a Sanguine

guine extravaſato, in vaſis *Pneumoniacis* conſervato & putreſcente.

Uterque (& hic & præcedens affectus) eſt ſatis periculoſus & *prognoſtica* ſunt maxime infida.

4. *Curatio* (1.) In *Curanda Hæmoptyſi* ſedulo vitentur omnes actiones vehementes & motus violenti, ut ſaltus, vociferationes, tuſſitationes, cunctæ paſſiones animi, & præcipue ira, hæc enim particulas ſanguinis exacuit, & motum accelerat.

Detrahatur ſanguis a brachio vel pede revulſionis ergo, niſi virium imbecillitas intercedat.

Quod ad *Pharmaciam* attinet proſunt *Vegetabilia Refrigerantia*, ut *Plantag. Burſ. Paſtor. Nymphæa*, *Acetoſella*, *Papav.* (præ reliquis laudo ſuccos harum herbarum) *Germina Roſ. Rubr. Rad. Tormentil. Biſtort. &c.* Etiam terreſtria aſtringentia, ut *Terra Sigillata*, *Lemnia*, *Japonica*, *Bolus Ver. Terra Vitrioli*, *Crocus Martis Aſtringens*, *Lapis Hemmatites*, *Sang. Draconis? Corallium*, *Ocul. Cancrorum*, *&c.* Adde etiam *Acida Coagulantia*, ut *Spiritum Vitrioli*, *Sulphuris*, *Alum. &c.* quibus junge *Opiata*, prout Medici Judicium dictitabit: Ex. gr.

(1.) ℞. *Sang. Dracon.* ʒii. *Sem. Papav.* ℥iij. pulveriſentur & cum *Syr. Corall.* f. Bol. Acuatur *Oleo Sulphuris per Camph.* Vel,

(2.) ℞. *Suc. Plantaginis*, *Tinct. Roſar. aa.* ℥ij. *Syr. Mirtiroll.* ℥i. *Laud. Liquid. Cydoniat. gut. xxx.* Miſce vel hoc *Sylvii* quod habetur lib. 10. cap. 9. §. 20. nempe.

(3.) ℞. *Aq. plantag. ij. Aq. Cinnamom.* ʒiij. *Aceti Deſtillat.* ʒv. *Sang. Dracon.* ℈ß. *Laud. Opiat. gr. ij. Syr. Diamor.* ℥j. Miſce. Hoc mirum in modum a *Sylvio* laudatur.

Huc conferunt *Cathartica* tenuiora debitis intervallis propinata, ex *Rhabarb. Tamarind. Senn.* Vel ſi magna copia ſeri redundet addatur etiam *Reſina Jalappe Cucubirtulæ & Ligaturæ* ſæpe bono cum fructu exhibetur.

(2.) *Empyemati* omni cura occurrendum eſt (ſæpiſſime enim lethale eſt) ſi autem præveniri nequeat ſup-

ſuppuratio promovenda eſt ope *Cataplaſmatis* appropriat. ex Summitat. & Radic. *Biſmalv. Lill. alb. Semin. Lini, Fenugræc. Terebinth. & Oleis Emollientibus*, *&c.* adde etiam *Emplaſtra*, *Unguenta &c.* Omnium optime tamen venienti huic morbo occurrunt *Salia Volatilia Oleoſa* & *Spiritus Vini rectificatus* affuſus herbis Alkali Volatili abundantibus & deinde deſtilletur.

Interne omnia *Balſama Naturalia*; *Balſamum Lucatelli*, *Balſamum ſulphuris vivi* circulat. cum *alkali* aliquo *fixo* donec dulce evadat reliquis palmam præripit; *Balſamum Antimonii Succin. &c.* quæ fabricari poſſent ad modum Boli cum reliquis appropriat. vel etiam adde guttas aliquot decoctis herb. vulner. Et ſi hæc non proſunt tentanda eſt *Paracenteſis*, quam omnes Medici tam veteres quam recentiores laudant, & practicorum felix ſucceſſus ſatis confirmat.

CAPUT XIII.

De Phtihſi, & tuſſi.

1. DUm varias *Phthiſeos* ſpecies animo voluto, obſervo mortem, atrociſſimum illum humani generis oſtem, duobus præcipue nunciis nos in Boreali hac plaga degentes de extrema diſolutione appropinquante certiores facere, qui duo infeſtiſſimi comitis vulgo audiunt nomine *Atrophiæ* & *Phthiſeos*: in utraque adeſt totius corporis liquatio & conſumptio, quam producit in priori defectus vel obſtructio ſucci Nutritii, & in poſteriori ulcus *Pulmonum*, at in utraque contaminatur Sanguis.

2. *Atrophiam* plerumque comitatur itumeſcentia Abdominis Ventriculi appetitus vagus & inconſtans, cordis palpitatio, & ſæpius tumores de *Scrophularum* genere.

Phthiſis dignoſcitur ex tuſſi crebra, primo ſicca, poſtea humidiori cum ſpumoſo & ſæpe Sanguineo ſputo, quod temporis progreſſu purulentum & quandoque fœtens evadit; ſemper adeſt difficultas reſpirandi per

integrum morbi decurſum, & *febris putrida* vel *hectica*; imo ſæpe eadem adſunt *Symptomata*, quæ in *Atrephia*. In quibuibuſdam adeſt totius corporis contabeſcentia & Emaciatio, & frequenter *Diarhæa*, cibo nempe corpus percurrente ſine ulla digeſtione.

3. *Cauſ.* In *Atrophia* Viſcoſus, & Mucoſus quidam humor adhæret, vel quodammodo occludit & obſtruit glandulas *Meſenterii*, & vaſa lactea vel eorum Orificia, unde Chylus (ſaltem ſpiſſior ejuſdem pars) non percolatur nec Sanguini redditur.

Cauſa *Phthiſeos* eſt ulcus *Pulmonum*, quod diverſimode contingere poteſt ut ex quatuor præcedentibus Capitulis Manifeſto liquet. Nempe a ſero vel ſanguine, vel lympha extravaſatis, vel a vitio aliquo in ſanguine præexiſtente, veluti ſi morbus ſit hæreditarius, vel ſi ſubſequatur *Atrophiam* aut quemlibet alium morbum quem comitatur aciditas quædam ſeu acrimonia in ſanguine, qui pulmones corrodit, & exaſperat: etiam lapilli & tuberculi in pulmonibus *Phthiſin* producunt.

4. *Atrophia* incipiens eſt curabilis, ſed ſi adſit ſcirrhus Ventriculi, Hepatis, &c. & corpus ſenſibiliter extenuetur: vix curabitur: & ſi præterea adjungatur *Febris Hectica*, vel *Phthiſica*, nulla arte humana curari poteſt. Quantum novimus pauciſſimi evadunt, qui correpti ſunt ulcere pulmonum: Et ſi tuſſis vehementer urgeat, ſputum fœteat, & multum de corporis ſubſtantia deperditur, & ſudores colliquativi inceſſanter ægrum afficiant, ſi in hoc caſu ad purgationem ſe accingat æger, mortem ſine dubio accelerat.

5. *Curatio*. In *Atrophia* pituita viſcida eſt incidenda & evacuanda, obſtructiones reſerandæ, ſanguinis vitium corrigendum, calor etiam & fermentum ventriculi denuo reſtituendum, quem in finem conferunt (præter *Salia Volatilia* etiam) *Oleoſa*, *Spiritus Volatiles Urinoſi*, & *Lumbricorum terreſtr. Millepedum*, *Salis Armoniaci*, *&c.* qui exiberi poſſent una cum *Gumm. Ammoniac. Benzoin. Bedellii*, *Calban. Mirrh. &c.* Ex. gr.

℞. *Spirit. Lumbricor. Tereſtr.* ℥*jv.* *Gumm. Ammoniac.* ℥*j.* extrahatur Tinctura, cujus doſis gut. 40.

quæ

quæ ſumantur in ſequenti potu diatetico, vel ſimili.

℞. *Heder. terreſtr. fumar. aa. M. j. ſummitat. Abſinth. Card. Ben. Epatic. Rad. Fænicul. Polipod. Helen. aa. M.* ℔. *recent Collect.* ℔j. fiat ſacculus *Diæteticus* pro *Congiis iij. Cereviſiæ tennujoris*. In hujuſmodi etiam vehiculis propinari poſſent *Tinctura Chalybis Antimon. Sal. Tar. Ent. Veneris, Vitr. Martis, &c.* Talia enim non ſolum obſtructiones reſerant & viſciditates corrigunt, ſed & præcipua æſtimantur *Pectoralia*, quando nempe materia aliqua ſpiſſa peccat; quibus etiam addi poſſent *Hyſſop. Capill. Vener. Tuſſilag. Hyperic. Marrubii Liquirit. Iris, &c.* etiam *Semina Carminativa*, eorumque *Olea*, & *Oleum Cinnamom. Bacc. Juniper Menth. & Abſinth.* ſpeciatim in *Lienteria* & affectibus fridis ventriculi, exhiberi etiam poſſet purgativum aliquod levius ſingulis 10. vel 12. diebus, Etiam.

℞ *Pill. Tartar. Quercetan.* ℈j. *Ent. Vener gr. vj.* Miſce.

Etiam *Rhabarbar.* vel ejuſdem *Tinctura*, *Spec. Hier. Diaſenn. Elixir. Propriet. fact. cum Tinctura Antimonii, &c.* Hactenus de *Atrophia* & *tuſſi* procedente a pituita viſcida.

Sed ſi *tuſſis* proveniat a particulis Salinis, vel Acrimonia quadam præditis, vellicantibus *Pulmones*, *Bronchia, &c.* Tunc *Abſorbentia* adhibenda ſunt, ut *Bezoard. Mineral. Antimon. Diaphor. Antihecticum Poterii, &c.* Etiam *Jucraſſantia*, ut *Eſſentia Papav. Pill. de Cynogloſſ. de Styrace*, & ſimilia (caute) uſurpanda ſunt. In nullo caſu *Tuſſis* negligenda aut flocci-facienda eſt; quamquam enim *Phthſis* immediate illam non comitetur aut ſubſequatur, plerumque tamen *Phthiſin* precedit: ideo periculoſa eſt, & omnibus modis eam amovere nitendum eſt, in quem finem *Emeticum* confert (ſi pro certo habeas *Pulmones* intactos ſanos eſſe, & niſi aliæ prohibeant circumſtantiæ) hoc autem præcipue confert quando adeſt infarctus ventriculi, & prægravatio, & anxietas Pectoris.

2. *Pharmacia* pro *Curanda Phthiſi*; ſi ulcus in *Pulmonibus* hactenus progreſſum fuerit. *Emetica* fugienda ſunt & utendum eſt *Balſamis Pneumonicis* (in *Empyemate* hactenus memoratis) & *Decoctis Pectorali-*

 bus,

bus, & *Traumaticis*, *Syrupis*, *Eclegmatis*, *Emulſionibus*, *&c.* quorum infinitam varietatem apud omnes pene Authores reperire eſt: exemp.

(1.) ℞. *Vini Canarienſis vel Malag.* ℔ij. *Balſ. Tolutan.* ℥j. Digerantur in vaſe vitreo duplici bene Lutato, igne moderato, Vel,

(2.) ℞. *Sr. Tolutan.* ℥ij. *Sulph. Balſ. Aniſat. Sacchar. Cand. aa.* ℥j. *Ol. Cinnamon. gut. iv.* M. f. linctus. Conducunt etiam *Abſorbentia* ad acidum prædominans imbibendum, & particulas acriores in ventriculo & ſanguine temperandas. Hiſce autem remediis quæ ultimo præſcripſimus pro *tuſſi* curanda, adde *Corall. Terr. Lemn. Sigillat. Catechu*, quæ ultimo memorata ſpecifica eſt in hoc morbo & in omni tuſſi cujuſcunque generis, præcipue ſi adſit *Diarrhœa*. Exempl.

℞. *Antihectic. Poterii* ℈ß. *Catechu.* ℈j. *Conſerv. Roſar. Rubrar.* ℥ij. ß. fiat bolus. Quando ſemel ventriculus ex uſu hujuſmodi medicaminum acidum ibidem hoſpitatum eliminavit, conſulendus eſt æger, ſi modo poſſibilis ſit, ut ſe lactis uſui addicat, & primo quidem miſceri poſſet lac cum tertia parte æquæ, vel deſtilletur lac herbarum appropriatarum virtutibus imprægnatum.

℞. *Hederæ Terreſtris M. ij. Sem. Aniſi* ℥ij. *Teſtudinum & earundem teſtarum* ℔j. *lactis* deſtill. &c. ----- Per ſe etiam uſurpari poſſet *lac Vaccinum*, *Caprinum*, vel *Aſininum*, (niſi aceſcat aut coagulet in ventriculo) & ſi viſcida pituita abundet addatur piper ſubtiliſſime pulveriſatum; ex cujus aditione multo efficacior evadet: ſed ſi adſit *Diarrhœa*, vel *febris putrida*, deſiſtendum eſt ab uſu lactis, & *incraſſantia* & *Refrigerantia* uſurpanda ſunt.

Contra debilitatem multum valent *Gelatinæ*, *Teſtudines*, *Oſtrea*, *&c.* Externe *Fontanellæ*, *Emplaſtra*, *Unguenta & Fumigationes* feliciſſime ſuccedunt.

CA-

CAPUT XIV.

De Aſthmate, & Dyſpnœa.

1. Eſt reſpiratio difficilis orta a morboſa diſpoſitione *Pulmonum*, vel *Bronchiæ*.

2. Quando moderata eſt ſine ronchis & febre, dicitur *Dyſpnœa*. Quando difficilis eſt una cum ſtrepitu & Ronchorum ingeminatione, dicitur *Aſthma*. Quando ægrotans reſpirare nequit niſi erepto corpore ſedeat, dicitur *Orthopnœa*.

3. In quibuſdam ſicca eſt ſine ſputo, & ſubito invadit, in aliis autem humidior eſt, tuſſitando materiam quamdam expellens.

Aſthma Scorbuticum Scorbutica habet Symptomata, ut intumeſcentiam Ventriculis, Gypochondriorum, &c.

4. *Cauſa* prioris ſpeciei, eſt ſpaſmodica contractio, & irritatio Organorum reſpirationi dicatorum; videmus enim hoc morbi genus periodicum eſſe, & ægrotum ſubito & improviſo corripere; præterquam quod ira, timor & ſimiles Animi ataxie paroxyſmum inducant. Poſterior producitur ab obſtructione appendicis alicujus pulmonum, quod veroſimiliter contingit a pituita viſcida, vel materia purulenta, Sanguine exſtravaſato, Lympha extravaſata, aut a Tumoribus, Scirrhis, Lapillis, & aliis ejuſdem farinæ meatus obſtruentibus: quibus etiam adde tumorem pectoris, abdominis, &c.

5. Si inveterata ſit & jam ſeneſcentem corripiat, difficulter curatur; ſi *Aſthma* in pejus vergat, ſæpe minatur *Soporiferos* quoſdam vel *Convulſivos* affectus, vel *Phtiſin*, *Hydropem*, *&c.*

6. *Therapeja*. *Aſthma Convulſivum* curatur ex uſu *Cephalicorum* & *Artriticorm* adjunctis *Balſamitis Pectoralibus*; de illis ſatis fuſe egimus dum de morbis *Soporiferis*, & de his conſule caput proxime præcedens.

℞. *Tinctur. Croci. Caſtor. aa.* ℥ij. *Balſ. Sulph.*

 Aniſat.

Aniſat , ʒj. *Laud. Liquid. Tartariſat.* ʒß. Miſce , doſis gut. 40. Vel

Deſtilletur Spiritus a *Sale Armoniaco* , *Succino* *&* *Gumm. Ammoniaco*, cum *Spirit. vini* : in cujus ℥jv. diſſolv. *Sperma . Ceti* ʒj. *Laudam Liquid.* ℥j. *doſ. a.* 10. *ad.* 60. *gut.* Vel,

♃. *Cinnabar. Antimon. Sperm. Ceti. Millepedum aa.* ℈ß. *Caſtor. Sal. Succin. Volat. aa.* ʒj. f. pulvis doſis ℈j.

Pro vinculis inſerviant *Aquæ Teſtudinum* , *Lumbricorum Terreſtrium* , *Saſſaphras Primul. veris* , *Cariophyll. Hortens* . & ſimilium , Vel ,

℞. *Aq. Roſar.* ℔ij. *Benzoin . Styrac. Calamit. a.* ℥j. Diger. in vaſe vitreo duplici , igne moderato .

Pro curando *Aſthmate* humido ; *Veneſectio* (ipſo tempore paroxyſmi) indubie confert, & ſi , viſcoſa ulla materia adhæreat ventriculo , *Emeticum* apprime neceſſarium eſt ad materiam illam pituitoſam ventriculi plicis impactam , relaxandam & abigendam & hujus generis remedii utilitatem ſæpiſſime experti ſumus.

Sed ſi Aciditas ulla ſit in ſanguine , vel ſi viſcida & mucoſa materia adhæreat Bronchiæ , *Salia* illa *Volatilia Oleoſa* (ſæpiſſimæ a me memorata) omnia alia remedia multis paraſangis præſellunt , Vel ,

♃. *Gumm. amoniac. Spir. Vini aa.* ℔j. *Sal Volat. Urinæ* ℥vj. *Sal. Tartar.* ℔ß. deſtil. Secundum artem, doſis hujus Spiritus gut. 40. Vel,

Diſſolvantur *Gumm. Ammoniac.* in *Spir. Lumbricor Terreſtr.* aut *Milepedum* , aut *Sal. Armoniaci* : Hujuſmodi , inquam, Medicamina multum , faciunt.

Preterea omnia *Incidentia* & *Mordentia* conducunt , ut *Rad. Ari. Helenii* , *Raphani Ruſticani* , *Cochlear* . *Sinapi* , *Epatic.* &c. Vide Cap. ultim. præcedens.

Si Abdomen flatibus infeſtetur, uſurpentur *Carminativa* , non ſolum una cum *Specificis* & *Alterativis* ſed etiam in *Catharticis* & *Enematis* , &c.

Si procedat a *Scorbuto*, *Hydrope* &c. ratio habenda eſt horum morborum . Externe *Veſicatoria* , *Cucurbitulæ* & *Fonticuli* conveniunt ; ſed ſupra omnia ſuademus ut pectus foveatur *Salibus Volatilibus Oleoſis* .

Pro

Pro morbi hujus *Prophylaxi*, mediocritas obſervanda eſt in uſu ſex rerum non Naturalium, & ſedulo ſtudendum eſt ut omnes evacuationes naturales debitum ordinem obſervent; & Alvus potius ſolutior quam pigrior ſemper remaneat.

CAPUT XV.

De Palpitatione Cordis.

1. P*Alpitatio Cordis*, eſt Cordis & Arteriarum motus convulſivus: cor autem eſt præcipua pars affecta.

2. Manu ſentiri poteſt, & quandoque adſtantibus videre & audire licet. Si procedat ab ira, timore, amore, exercitio immoderato, &c. Citiſſime curſum ſuum abſolvit ſed ſi ab *Atrophia* vel *Cachexia* originem ducat, diutius moratur & ſentitur quædam ponderoſitas a paſtu, ſed ſi a *Scorbuto* oriatur, adeſt anxietas &c.

3. *Cauſa* vel conſiſtit in vitio Sanguinis, (qui cum ſit nimium acidus vel bilioſus vellicat nervos cardiacos & fibras motrices) vel procedit ab obſtructione, ſi quid nempe adhæreat cordi vel arteriis, unde ſpiritus Animales cum impetu moventur, &c. & exinde eſt quod triſtitia ſubita, timor, pudor, amor, &c. Palpitationem producunt.

4. Hic morbus pro periculoſo habetur, & ſi oriatur ab obſtrutione vel Leſione vaſorum cardiacorum; raro aut nunquam curatur: ſed ſi *Sympatica* ſit, curato morbo ex cujus conſenſu oritur, vel ipſa curabitur.

5. Et equidem opus foret minoris laboris curam hujus morbi inſtituere, ſi rite dignoſceretur cauſa; quæ quandoque facile ſatis, quandoque multo difficilius eruitur. Sed ſi materia acris & viſcida peccet (in paroxyſmo) *Salia Volatilia Oleoſa* nulli remedio cedunt, Vel,

℞. *Spirit. Vini* ℔ij. *Sal. Volat. Succin. C. C. aa.* ℥j. *Cinamom.* ℥vj. *Sal. Tartar.* ℥iij. Diger. per ſeptimanam unam: deinde Deſtill. in Balneo Mariæ: Spiritui deſtillato adde *Olea Chimica*, *Macis Caryophyllor. Sem.*

Aniſi,

Aniſi, quantum cum illo commode incorporari poteſt; ultimo infunde Croci, Caſtor. aa. ℥j. doſis gut. 30. in ullo vehiculo appropriato.

Sed ſi oriri videatur a *Sal. Bilioſo*, *Cardiaca* temperatoria cum *Acidis* lenioribus uſurpentur, ut *Spiritus Salis Dulc. Succus Citri*, *Lujulæ*, *Tinct. Corall. &c.* In Paroxyſmo *Venæſectio* etiam conducit, præcipue ſi adſit *Plethora*. Quamcunque autem agnoſcat cauſam, *Abſrobentia*, & *Bezoardica* exhiberi poſſent, ut *Bezoard. Mineral. Terra Sigillat. Margarit Corall. Ocul. Sancror. Teſt. Oſtrear. &c.*

Paroxyſmo pedem referente purgatio levior, & moderata locum obtinet, ut *Pill. Tartar. ex tribus*, Vel

℞. *Rhabarb.* ℥iij. *Sal. Tartar.* ℥ij. *Aq. Cinnamon.* ℥vj. fiat, infuſio pro una doſi, Purgatione peracta *Diaporetica* leviora ſæpe proſunt, ut

℞. *Laud. Lodinenſ. Camphor. aa. g. ij. Bezoard. Mineral. gut. iv.* cum *Confection. Alkerm.* f. Bolus.

Si procedat a *Scorbuto*, *affectu Hipochondriaco* vel *Hiſterico*, *Cachexia*, *Antropia*, aut ſimilibus promovenda eſt cura horum morborum, a quibus ipſa dependet.

In curando hoc morbo laudant Medici *Corſuis*, *Bovis*, *Cervi*, *&c.* Externe ſuadent ut uſurpentur *Cucurbitulæ*, *Sacculi*, *Unguenta*, *Fumigationes*, *&c.*

C A P U T XVI.

De Syncope, ſeu Leipothymia.

1. EST ſubita ſuppreſſio functionum Vitalium, orta a nimia fuſione vel Coagulatione Sanguinis.

2. Si ſolummodo adſit virium jactura, cum *Vertigine* & ſtrepitu in Capite, varii colores oculis repræſæntati, labia & Genæ pallidæ, ſudores frigidi, & tantillum ægritudinis, dicitur *Eclypſis*: ſed ſi adſit etiam animæ deliquium dicitur *Leipothymia*, & ſi præter omnia hæc *Symptomata* pulſus etiam & reſpiratio deficiant, dicitur *Syncope*; vel *Aſphyxia*, & ægrotans pro tempore mortui ſpeciem præſefert.

3. *Deli-*

3. *Deliquium, Animi* oritur vel a penuria, ſuppreſſione vel diſſipatione ſpirituum animalium.

(1.) Penuria oriri poteſt a nimia ſanguinis jactura, diarrhæa, alimenti defectu, &c.

(2.) Supreſſio ab ingrata aliqua viſione, aut odore; vel ab affectibus animi, ut terrore, amore &c.

(3.) Diſſipatio, a veneno, febris peſtilentiali, extremo labore, &c.

4. *Leipothymia* in fæminis *Hyſterico affectu* obnoxiis, vel quæ a *Phlebotomia*, ingrato odore, viſione aliqua inimica, &c. provenit, non multum metuenda eſt: Sed ſi *paroxyſmus* diu perſiſtat cum reſpirationis & pulſus defectu vel ſi crebro recuret, & ægrotans *Phthiſi* obnoxius ſit mors fores pulſat; & ſi *tremor* & *Convul ſiones* adſint, omnis ſalutis ſpes deplorata eſt.

5. *Therapeia*, *Cardiaca* animi deliquio appropriata, ſunt illa quæ vel ſpiritus volatilizant, quando Acidum coagulans prædominatur, vel quæ eoſdem reſtaurant & concentrant, quando exhauſti & diſſipati, & irregulariter in cor & arterias exploduntur. Primi generis *Cardiaca* ſunt volatilia ſalina Alkalia, adiuncta ſulphureo Armoaticis, (i. e.) *Salibus Volatilibus Oleoſis*, quorum Catalogum ſuperiore capite reſenſuimus; Vel,

℞. *Aq. Cinnamom.* ℥iv. *Spir. Sal. Armoniac. gut.* 30. *Ol. Cinamon. & Succin. aa. gut. ij. Syr. Cariophylior.* ℥ß. *Miſc.* Hiſce add. *Aq. Borragin. Meliſ. vel Roſar* prout neceſſitas & occaſio poſtulat.

Sed ſi *Leipotymia* a febribus, &c. proveniat, Acida Volatilia (i. e.) *Spir. Formicarum*, & *Sulphureo ſpirituoſa* adiuncta acidis præferenda ſunt; ut *Spirit. Sal. Dulc. Suphur Nitri*, *&c.* Vel.

℞. *Aq. Meliſſ. Cinnamom. aa.* ℥ij. *Confectio Alkerm.* ʒj. *Syr. Corall.* ℥j. Miſce f. Julapium. Hiſce adde *ſuccum citri*, *aurantiorum*, *Lujulœ*, & Similia, quando nempe deliquium provenit a nimia diſſolutione ſanguinis; ſemper tamen ratio habenda eſt morbi a quo provenit deliquium.

Externe irroretur facies aqua frigida; & *Spiritus Salis Armoniaci* fortiſſimus naribus admoveatur, &c.

CA-

CAPUT XVII.

De Inappetentia & Nauſea, ſeu Cibi Faſtidio.

1. INappetentia & Nauſea eſt depravata ventriculi fermentatio.

2. *Cauſa* (plerumque) eſt vel bilis præternaturalis, vel viſciditas pituitoſa in plicis ventriculi latitans, vel admixta ejus proprio fermento; vel denique vitium ineſt liquori glanduloſo fermentationi adaptato.

Cauſæ Accidentales forent, vel abuſus ſex rerum nonnaturalium, morbi alii prægreſſi (veluti febres, a quibus ſanguis depravatur, &c.) vel defectus fermenti vitalis: & quandoque etiam oritur ex conſenſu aliarum partium, ut cerebri, uteri, &c. Vel ex quodam accidente qood Spiritus Animales exagitat.

3. Si in initio morbi contingant, res non adeo periculi plena eſt, ac ſi in declinatione; ſi Chronicorum morborum conſortium ambiat, in deterius vergit; & pejus ſe habet in pueris quam in adultis.

4. Pro *Curatione*, primo Emeticum levius conducit ad illud eliminandum quod fermentum vitiat) & deinde ſi quid bilioſum in culpa ſit, ſtomachica una cum acidis temperationibus conveniunt, ex. gra.

℞. *pir. Salis Dulc. Eſſent. Menth. Abſint. Elixir. Proprietat. Paracelſ. aa.* ʒj. *Aq. Cinam.* ℔j. *Miſc. Doſis* ℥ß. ſepius. Vel,

℞. *Tinctur. Nucis Moſcat. Piperis aa.* ʒj. *Spir. Sal.* ℈j. M. Doſis gut. xxx. *Abſynthium & ſemina Carminativa* addantur cereviſiæ ordinariæ, quæ pro omnibus vehiculis inſervire poſſunt.

Sed ſi acidum viſcidum, dolorem gravativum in ventriculo producat, & *abſorbentia Volatilia Aromatica* locum obtinent, ut,

℞. *Ocul. cancror. Corall. aa.* ℥ß. *Ol. Stillat. Aurantior. Month. aa. gutt. iij.* Miſce. Vel,

℞. *Spirit. Saſſaphras, Limon. aa. par.* 1. *Infund. Mirrh. Aloes, Crocis, aa. quant. ſufficit:* Elixiris hujus de-

decantati ſingulis guttis xxx. adde *Olei Cinnamom. gut. ij.* pro una Doſi.

Purgatio levior etiam conducit ad reliquias (ſi quæ ſint) Evacuandas, ut *Electuar. Diaprun. Sylvii Cholagogum*, *Pil. Aleophang. Stomach. &c.*

Immodicus uſus dulcium & pinguium ſedulo vitetur: hæc fermentum Stomachi pervertunt, ſicut & omnia ſulphura durioris indolis, nitra lixivialia, &c. Opium fermentum obtundit & hebetat. Motus etiam nimius vitandus eſt, nam humores quieſcentes excitat, unde ſpiritus irregulariter functiones ſuas obeunt: idem etiam dicatur de affectibus Animi.

Sed quandoquidem inappetentiam plerumque ſit ſymptoma alterius cujuſdam morbi præcipua cura habenda eſt illius morbi, cui ortum ſuum debet.

CAPUT XVIII.

De Appetitu Nimio.

1. EST inſatiabile comedendi deſiderium, ortum a fermento ventriculi vel nimia quantitate aucto, vel nimia acrimonia prædito.

2. Quandoque nullus adeſt vomitus, & tunc dicitur *Bulimeos* plerumque tamen vomitus ſuccedit & ſæpiſſime etiam dejectiones, quo in caſu dicitur *Kunorexia.*

3. Autumo cauſam deducendam eſſe a ſucco e glandulis ventriculis & Æſophagi exudante, nimia molle abundante, vel nimis acri & acido, licet & *ſuccus* pancreaticus & ſaliva ejuſdem vitii correa ſint; etiam nimium cibi acris & remediorum ejuſdem naturæ aſſumptum famen hanc producit.

4. Si non uſque adeo extrema ſit hæc fames, & ſi Plæthorica conſtitutio adſit; patientes exinde pingueſcunt: ſed maxima pars hominum, hoc affectu percitorum, macreſcunt, & niſi præſentem ferant opem, in cachexiam, Phthiſin, &c. præcipitantur.

5. *Therapeia.* Omnia Acida & acria procul exulent, & pinguia & Oleoſa, quæ Acrimoniam obtundunt in uſum vocentur. Abſorbentia hic ſine dubio conducunt,

ſicut

ſicut & omnia Salia Alkalia fixa & Volatilia, perimunt enim & temperant naturam Acidorum Corrodentium; hſice junge opiata.

1. ℞. *Cretæ, Boli veri, Cinnamom. aa.* ʒj. *Ol. Menthæ Sem. Aniſi aa. gut. x. Theriac. venet. Antiq.* ʒiij. Miſce Doſis ʒj. in Aq. Cinnamm. Vel.

2. ℞. *Sal. Volat. Oleoſ. gut. xv. Laudan. Liquid. gutt. x. Ol. Amygb. Dul.* ℥ß. pro una doſi. Vel,

3. ℞. *Antimon. Diaphoret. Corall. præparat. aa.* ʒij. *Laudan. Londinenſ.* ℈ß. *Ol. Cinamom. gut. x.* Miſce. Doſis ℈ij. in vino Malag.

Laudant Medici juſculum Pingue, Gelatinas, Vitella Ovorum in vino Meraciori exhibita.

Veteres & nonnulli etiam ex recentioribus Medicis ſuadent evacuationem inſtituendam eſſe per vomitum & ſeceſſum; *Sylvius & Deckerus* hanc ſententiam reijciunt, nos tamen novimus vomitum curam hujus morbi perfeciſſe.

CAPUT XIX.

De Dolore Ventriculi, ejuſque Symptomatis; Ructibus, Cholera, inflammatione, &c.

1. EST ſenſatio doloroſa in parte affecta, orta a corrodente quadam Acrimonia, continuum ſolvente.

2. Dicitur *Cardialgia*, quando ſuperius ventriculi orificium afficit, & *Dolor Ventriculi* quando pylorum afficit.

3. *Signa Cardialgiæ*; ſunt dolores acres, ſummi & exquiſiti, circa foveam ventriculi, quos quandoque comitantur vomitus, vertigo, Leipothymia, Convulſiones, &c.

Si aliam Ventriculi partem afficiat, vel Pylorum, Colicam, imitatur cum dolore quidem acerbiſſimo, ſed ſine Symptomatis illis horrendis: plerumque tamen Vomitum producit, ardorem Ventriculi, ructus flatulentos, ſtrepitus in inteſtinis excitat, ut & Ventriculi diſtenſionem, &c.

4. *Cauſa*

4. *Cauſa* eſt ſolutio continui ab Acido aliquo Mucoſo bile Volatili, & Vaporibus Acrioribus, Cauſticis, Deleteriis, & Malignis Salibus (ut in peſte) Lumbricis, Nimia Ingurgitatione ciborum acrium, Venenis, & aliis Heterogeneitate partium dotatis: quæ omnia adeo divellunt & diſtrahunt fibras Nervoſas, ut Spiritus Animales extra ordinem cogantur, & furibundos ineant motus; inde oriuntur graviſſimi illi dolores, qui varie ægrotos diſcruciant pro natura cauſæ peccantis: quæ ſi ſit Mucilago ulla viſcida & Acido Commixta, & ſi occurrat portio aliqua Bilis Volatilis exinde formatur fermentum flatuoſum, quod cum in Duodeno majorem acquirat quantitatem (ubi nempe duo ſucci ſibi invicem occurrunt) omnes ſupergreditur ſine, ſeipſum in inteſtina, Hypochondria, Ventriculum, &c. quaquaverſum propellens: unde procedunt illa Ventris tormina, inteſtinorum ſtrepitus; & ubi ejus curſui obex ponitur, etiam intumeſcentia. Quod etiam particulis ſuis acutioribus fibras nervoſas vellicat, unde ſequitur Spaſmodica contractio Ventriculi & inteſtinorum, ex qua contenta neceſſario ejiciuntur: & prout hæc Salia ſunt magis vel minus Cauſtica eo augetur vel diminuitur morbi malignitas; & aliquando non ſolum ſubſequuntur vehementes Evacuationes, ſed & inflammationes, abſceſſus, Ulcera, Gangræna, imo & nonnunquam ipſa mors horum veſtigia premit.

5. Hic morbus eſt de acutorum genere, & periculo plenus: & prout Symptomata magis aut minus vehementer urgeant, ita ferendum eſt Judicium. Si ſeveriſſimi torqueant dolores, una cum ſudoribus frigidis, animi deliquio, & Convulſionibus, mors metuenda eſt: & ſi adſint febris Maligna, Dyſenteria, &c. Omnis fere labitur ſpes: & ſi adſit ſingultus, de morte adventante non amplius dubitandum eſt. Sed ſi dolores non uſque adeo urgeant, Symptomata miteſcant, & Evacuationes minus vehementes ſint, vel ſi ſolummodo a flatibus procedant: minus eſt periculi.

In Conſtitutione Sana & Athletica, Cardiagia, ructus, & vomitus Critici, ſine magno dolore, aut noxa fiunt.

6. *Thera-*

6. *Therapeja*. Motus violentiores, vel corporis, vel animi in hoc morbo ſuſcipiuntur, hoſtem enim e latebris excitant, & noſmetipſi ſæpiſſime experti ſumus, quod frigus externum, ſi in ullam corporis partem penetraverit, præcipue ſi *Abdomen*, *Pectus* vel *Pedes* corripuerit, *Cardialgam* excitaviſſet; & in hoc caſu Bolus ſequens mire efficax evaſit.

℞. *Bezoard. Mineral. gr. xv. Ol. Deſtillat. Menthæ, Cari Cinamomi, aa. gutt. ij. Laudan. Londinenſ. gr. jj. cum Conſerv. flor. Borrag.* f. Bolus.

Abſorbentia quidem adjuncta *Stomachicis & Carminativis* (& ſi dolor valde urgeat, & vehementia adſint Symptomata) etiam *Opiatis* bene præparatis, maxime proſunt: ſed ſi oriatur ex aſſumptione ullius, v. gr. veneni, &c. nauſeam, & vomitum creet, *Emetica* leviora primo exhibenda ſunt.

1. ℞. *Aq. Cinamom. Menthæ aa.* ℥*j. Syr Limon.* ℥ß. *Laudan. Liquid. gut. x.* Miſc. Vel.

2. ℞. *Sal. Abſinth.* ʒß. *Ol. Cinamom. Menth. aa. gut. ij. Syr. Citr.* ʒß. Miſc.

Si *Cholera* adſit & bilis majore impetu ſurſum quam deorſum evacuationem attentet, *Enemata Emollientia* conducunt, ut & *Colagoga* & *Laxantia*. Ex. gr.

1. ℞. *Caſſia recenter Extract.* ʒiij. *Senn. Rhabarb. pulveriſ. aa.* ℈*ij. Ol. Stillatit. Menth. Macis aa. gut. ij. Laud. Liquidi gr. j.* Miſce.

Si ſuſpicio adſit malignitatis adde *Alexipharmaca*.

2. ℞. *Theriac. Venet.* ʒ*j. Sal. Volat.* C. C. *gr. vi. Ol. Chymic Cariophyll. Aneth. aa. gut iij.* Miſc.

Si adſit inflammatio, & æger Athletico corpore gaudeat prodeſt Sanguinem detrahere; non autem Catharſis aut Vomitus promovenda ſine maxime cautela *Arſorbentia* in hoc affectu conveniunt, ſed *Salina Urinoſa* precellunt, & ſi dolor valde urgeat addantur *Anodyna*. Si *Cardialgia* a flatibus procedat *Chatarticum* aliquod *Carminativum* & *Enema* ad tranſitum liberiorem promovendum opem ſine dubio ferent.

Externe *Salia Volatilia Oleoſa* pro fomentationibus utiliter uſurpantur, & in *Cardialgia Spir. Roriſmarin.* quo foveatur Ventriculus preſens affert levamen.

CA-

CAPUT XX.

De Singultu.

1. EST morbus Ventriculi, & *Cauſa* eſt quodcunque orificium ſuperius Ventriculi inquietare valet; adeo ut *Diaphragma* etiam afficiatur; quod probabiliter provenire poſſet a flatulenta aliqua materia ibidem incluſa, vel a viſcida & tenaci materia orificio Ventriculi impacta & adhærenti, nervos tenuiores irritante, unde & *Diaphragma* ex conſenſu afficitur: & inde oritur motus hic convulſivus: hæc autem materia peccans vel in ipſo Ventriculo generatur; vel ex prava ſanguinis Diatheſi ab aliis partibus accerſitur, ut in *Febribus Malignis*, *Dyſenteriis*, *&c.*

2. *Si Singultus* procedat a vulnere illius partis nobilis, & principalis, vel ſi vehementes evacuationes vel malignum quædam morbum ſubſequatur, maxime periculoſus eſt. Sed ſi levior ſit, facile curatur ex Spiritus cohibitione, Pudore; aut improviſa qualibet paſſione animi,

3. Si malignitatis particeps non ſit, inchoetur cura *Vomitoriis* levioribus & *Catharticis*, niſi debilitas virium prohibeat: Sed in omni caſu *Abſorbentia* & *Antiſpaſmodica* conferunt.

℞. *Cinnab. Nativ. Corall.* C. C. *aa.* ʒß. *Caſtor* ℈j. *Ol. Stillat. Caryopyll. Aneth. aa. gut. iv.* Miſce doſis. ℈j.

Si a flatibus producatur ſemina carminativa addantur.

℞. *Aq. Cari* ℥ij. *eſſent. Aneth. Caſtor aa.* ʒß. Miſc. *ſemen Aniſi* conſtanter in ore manducatum multum laudatur. Sed ſi ſingultus vehementer urgeat, (a quacunque procedat cauſa) *Opiata* bene præparata & cum judicio exhibita ſunt ſine pari. Si malignitas adſit, addantur *Alexipharmaca*.

℞. *Margarit. Bezoard. Mineral. aa.* ℈j. *Oſſis de Corde Cervi*, *Pulver. e Chelis aa.* ʒß. *Laud. Londinenſ. gr. iij. Miſc.* doſis ℈j.

Externe Empiaſtra & unguenta ex *Antiſpaſmodi-*

cis, *Stomachicis*, *Carminativis* , &c. Ventriculo applicata proſunt; quorum miſtura & applicatio pro cauſæ exigentia dirigenda eſt. His adde *Salia Volatilia Oleoſa*, *Cucurbitula*, *Ligaturæ*, *Frictiones*, &c. valde prædicantur.

CAPUT XXI.

De Fluxu Alvi.

1. EST Alvi fluxus quo nimia cum frequentia & copia humores varii per alvum evacuantur.

2. Si materia excreta ſit cibus indigeſtus dicitur *Lienteria* ſi ſemifermentatus ſit, Crudus, & cineracei coloris, vel albeſcens inſtar Chyli, dicitur *Cœliaca* (apud quoſdam Medicos audit nomine *fluxus alvi Chyloſi*) ſed ſi excrementa ſatis digeſta & fermentata fuerint, ſed liquida vel aquea dicetur *Diarrhœa*, in qua ſi excreta flava ſint, Bilis peccat, ſi pituitoſa & viſcida, ſerum in culpa eſt, ſed ſi nigra & diſcolorata ſint, acidum occurrit.

3. *Cauſa Lienteriæ* eſt aliquid fermentum Ventriculi obtundens, & etiam fibras ejuſdem irritans, unde contenta ſua infermentata & feſtinanter nimis propellit. *Cœliaca* oritur ex obſtructione vaſorum lacteorum & tranſcolationis Chyli per ea, non excludendo defectum etiam Bilis, *Diarrhœa* producitur a nimia ſeri, vel lymphæ copia; quæ cum e Vaſculis ſuis in partem affectam effundantur, ibi bili occurrunt; & ex horum concurſu excitatur efferveſcentia: hinc morbus magis vel minus eſt acris, Bilioſus, ſeroſus vel acidus, prout varia ſalia inteſtina, irritant, & Spiritus Animales perturbant.

4. Quælibet fluxus alvi ſpecies diu perſiſtens & magnum excitans dolorem, vel ſi excreta ſint nigra, livida aut viridia, ſuſpicienda eſt: & *Lienteria & Sœliaca* magis quam *Diarrhœa*.

Fluxus Alvi Criticus ſine notabili dolore magis conducit quam nocet,

5. *Cura*. Praxis omnium Medicorum & experientia

tia quotidiana hoc extra controverſiam ponunt, quod in fluxu alvi curando initium ſumendum ſit a Catharſi; quæ humori peccant adaptanda ſit cui etiam copioſe immiſceantur *Balſamica*, *Aromatica* & ſi dolor admodum urgeat, *Anodyna*. Ut ſi bilis in culpa ſit.

♃. *Rhabarb.* ʒj. *Sal. Abſinth.* *gr.* x. *Nucis Moſcat.* ℈j. *Laudan. Londinenſ. gr. no.* j. M. f. Pulvis. vel.

♃. *Pulver. Rhei* ℈ij. *Sal Volatil. Urin. gr.* viij. *Ol. cinamom. Fœnicul. aa. gut.* iij. cum *Exſtracto Rhamni* f. Pilulæ.

Si excreta ſint nigri aut viridis coloris, *Abſorbentia* & *Bezoardica* addenda ſunt, quæ etiam in quolibet fluxu alvi conducunt, purgatione prægreſſa.

1. ℞. *Bezoard. Mineral.* ʒj. *Caſtor. gr.* x. *Rad. Tormentill.* ʒj. ß. *Laudan. gr.* vj. *Ol. Cinamom. Menth. aa. gut.* iij. f. Pulvis pro una doſi.

2. ℞. *Rad. Tormentill.* ℥ß. *Catecub.* ʒiij. *Maſtic. Succini aa.* ʒj. *Cinamom. Sem. Papav. Cari aa.* ℈j. Pulveriſ. & cum *Syrupo Menthæ* f. Electuar. pro ſex doſibus.

Externe Adſtringentia leviora & Balſamica applicentur, ut *Tacamahaca*, *Maſtiche*, *Ol. Menth.*, *Macis*, *Abſinth. &c.* Vide duo capita ultimo prægreſſa.

CAPUT XXII.

De Dyſenteria.

1. Est immodica evacuatio materiæ purulentæ vel Sanguineæ per alvum, cum torminibus acrioribus & ulceratione inteſtinorum, quandoque cum *Teneſmo*, & ſæpe cum *Febre*.

2. Quandoque ſolummodo inteſtina craſſa afficiuntur, ſicut dignoſcitur ex dolore magis gravativo & habetante, & ad latera Abdominis afficiente, & ex excretis minus purulentis & ſanguineis; Sed ſi inteſtina tenuia afficiantur dolores acuti quaquaverſum per integrum abdomen radiantur, neque derepente dejectionem producunt. Si dolores inceſſantes adſint, ulcus indicatur. Si *Symptomata* extreme mala ſint ſine dolore, Gangræna metuenda eſt.

 3. *Cau-*

3. *Cauſa* eſt acrimonia heterogenea Salina in ſanguine, unde adeo tenuis & acris evadit ut meatus cæliacos tenuiores perrumpant, & in inteſtina irruens eadem corrodat & exaſperet; etiam *Succus Pancreaticus* & *Bilis* exinde depravantur, & vapores & tormina excitantur.

4. Eſt morbus periculi plenus, & ſi concomitetur *Nauſea* ſeu cibi faſtidium, febris, vigiliæ, vomitus, & ſitis magna, vel ſi excrementa ſint valde nigra, disjuncta & lacera quaſi, & veluti fruſtra carnis una excernantur; omnia inquam, hæc ſunt mali moris *Symptomata*; ſed ſi adſint etiam *Sudores frigidi*, *Leipothymia*, & *Convulſiones*, de *cura* non amplius ſperandum eſt.

5. *Cura* Si malignitas conſtet, præſtat initium ſumere a *Bezoardicis* & *Diaphoreticis*; ut.

℞. *Theriac. Andromach.* ℈ij. *Sal. Viperar. gr. vi. Ol. Cinamom. gut.* j. Miſc.

Ordinario autem in principio *purgationem* inſtituimus ope *Catharticorum* in proxime prægreſſo capite nominatorum, & plerumque quidem preparationibus quibuſdam ex *Rhabarbaro*: Sed *Purgativa*, ſicut & omnia alia remedia, moderata doſi exhibenda ſunt.

Deinde *Adſtringentia* adhibemus primo leviora, & dein fortiora (ſi opus ſit) ſemper addendo *Opiata* (niſi *Symptomatæ* mortem minitentur, vel dolor non multum urgeat,

℞. *Lapid. Hæmatit. Sang. Dracon. aa.* ʒß. *Radic. Tormentill. Biſtort. aa.* ʒj. *Ol. Menth*, *Nucis. Moſcat. aa. gutt. vij. Laudan. Londinenſ. gr. vi. Conſerv. Roſ. Rubr.* ℥j. fiat Bolus, doſis ℥ij. vel.

His adde *Sem. Plantag. Papav. Corall. Maſtich. Succin.* C. C. *Crocum Martis Adſtringentem*, *Bolum*, *Catechu*, ut & omnia terreſtribus particulis gaudentia, & etiam quæ hactenus præſcripſimus in *alvi fluxu* curando; & ſi adſit malignitas adde *Pulv. Viperar. Serpentum*, *Camphor &c.*

Enemata etiam conferunt, (quæ fiant ex *lacte* vel *ſucco Plantaginis*, *Vitellis Ovorum*, & *Terebinthina Veneta*. Pro Enematibus vide *Platerium* & *Riverium*.

Ex-

Externe *Adſtringentia* & *Anodyna* uſurpari poſſent, ut *Unguent. Comitiſſæ*, *Sumac.*, *Ol. Cydonior.* & ſimilia vel.

℞. *Theriac. Andromac.* ℥i. *Rad. Tormentill. Boli veri aa.* ʒiij. *fruſtorum Panis* ʒiv. cum *Aceto Roſarum* fiat *Cataplaſma*.

Teneſmus iiſdem remediis cedit.

CAPUT XXIII.

De Dolore Colico.

1. EST moleſtiſſimus doloris ſenſus in *Abdomine* dependens a ſolutione continui. Partes affectæ ſunt Inteſtinum *Colon*, ejuſdem Tunicæ & Membranæ, vel partes adiacentes, vel nervi *Meſenterici*.

2. *Signa*. Dolor vehemens in Inteſtinorum regione, quandoque in uno, quandoque in pluribus locis ſitum obtinens. Contractio vel diſtenſio partium *Abdominis* una cum ſpiſſa & pauca urina, adſtrictione Alvi, Vigiliis, Siti, vomitu, febre, ſudoribus frigidis, deliquio animi, &c.

3. *Cauſam* arbitramur conſiſtere (ſaltem plerumque ita ſe habet) in præternaturali fermentatione *Succi Pancreaticis* & Bilis; nempe unus vel uterque vitioſus exiſtit, vel chylo indigeſto occurrunt. Veriſimile eſt flatulentam aliquam, viſcidam, acidam, vel acrem materiam produci, &c. quamquam minime dubitamus, quin hic affectus oriatur aliquando a perturbatione Spirituum Animalium (vel in *Cerebro*; vel in *Plexu Meſenterico*) qui cum membranoſas & ſenſitivas *Abdominis* partes impetuoſe diſiliant, contractionem, Diſtenſionem, Diſruptionem, divulſionem partium & conſequenter dolores, producunt.

4. Si *Dolo Colicus* ſit lenior ſine mali moris ſymptomatis, facile curatur; ſed ſi dolor fixus ſit, & alvus adſtrictior, vigiliæ, vomitus, Leipothymiæ, &c. etiam adſint, res in magno diſcrimine verſatur.

Colica Spaſmodica ſæpe diu perſtat, & omnia remedia

media quæcumque eludit ; quandoque fixum obſervat locum, quandoque vagatur per *Meſenterium* & alias partes : imo & aliquando in *Paralyſin*, vel *Epilepſiam* deſinit.

5. *Cura* aptiſſime inchoabitur ab *Enematis Emollientibus & Carminativis* (quamcumque agnoſcat cauſam) compoſitio fieri poſſet ex lacte, juſculo, (præcipue ex carne ovilla) una cum herbis *Emollientibus* & ſeminibus *Carminativis*, quibus adde *Olea*, *Vitella Ovorum*, *Terebinthinam*, *Tincturam Colocinthidos*, & *Infuſionem Croci Metallorum*, *Aloe*, *Manna &c.* quæ ſæpius reiterentur, ſi opus fuerit. *Cathartica* etiam quandoque morbum hunc ſolvunt, quæ fiant ex *Senna*, *Rhabarbaro*, *Manna*, *Tamarindis*, *Extracto Colocynthidos*, adiunctís *Carminativis* & *Emollientibus* (prout urget occaſio) & ultimo *Opiatis*, ſi modo dolor intenſiſſimus ſit ; ſed ſi magna ſit alvi & inteſtinorum Adſtrictio, *Opiatorum* uſus diferatur donec hoc *Symptoma* minuatur.

Ut ad particularia deſcendamus ; in *Colica flatulenta* producta a Bile Volatili commixta Pituitæ Viſcidæ, & ex inteſtinorum diſtenſione ſeipſam prodente.

1. Injiciatur *Enema Emolliens* & *Carminativum* ; deinde.

℞. *Elixir. Salutis* ℥ij. *Sur. Roſar. Solutiv. Aq. Cinnamom. aa.* ℥j. M. pro una doſi. Deinde.

℞. *Dianiſi* ℈ij. *Laudi Lond. gr.* 1. *Syr. Menth. q. ſ.* Electuarium.

Sed ſi procedat ab *Acido*, quod dignoſcitur ex Algore, una cum contorſione, &c. tum *Salia Volatilia Oleoſa* præcipua ſunt, quibus adde *Abſorbentia*, *Diuretica*, & omnia *Alkalia*; & ſi addas *Opiata* magis efficacia evadunt; dolore autem recedente exhibeantur *Melanagoga*.

Si ſit dolor ardens & comburens quaſi cum ſapore oris amaro, & ſiti, & oriatur a *Bile* acri, *Refrigerantia* adhibenda ſunt ; ut *Cichor*. *Plantag. Acetoſell. Citr.* & præcipue *Spir. Nitri Dulcis*.

Etiam *Emulſiones* ex *Seminibus frigidi* ; vel *Opiata* ſemper *Carminativis* juncta.

Præ-

Præterea *Enemata* & *Cholagoga* vices ſuas obtinent quæcumque enim ſit cauſa, hoc ſemper pro *Axiomate* tenendum eſt, quod alvus ſemper laxior eſſe debeat.

In *Colica Spaſmodica* incipiendum ab *Enematis*, Ex. gr.

℞. *Decoct. Commun.* lib. j. *Tinctur. Caſtor.* ʒj. *Laudan. Liquid. gut. xx. Ol. Succin. x.* f. Enema. Talia *Enemata* cum *Arthriticis* & *Anodynis* maxime efficacia ſunt in Spiritibus efferis compeſcendis. Deinde quæ præſcripſimus in *Colica* ex cauſa *acida* vel humore *Melancholico* orta, hic etiam conveniunt, quibus addantur *Antiſpaſmodica* Exempli gratia.

℞. *Spir. Roriſmarin. Tinctur. Caſtor aa.* ʒj. *Sal. Volat. Succin. Lumbricor. aa. gr.* vj *Ol. Pomor. Aurantior. Nucis Moſcat. aa. gut. vij. Laudan. Liquid. gut. xl.* Miſc. doſis gut. xx.

Hujuſmodi remedia ſæpius propinari poſſent in ℥j. *Aquæ Cinamomi tenuioris*, vel *Aqua Lumbricor. Magiſtral.* —— Etiam *Tinctura Antimonii*; *Cinnabaris Antimonii*, *Sulphur Anodynum* & illud *Vitrioli*, *&c.* conducunt.

Externe *Salia Volatilia Oleoſa* multum celebrantur pro fomentationibus; ſpeciatim ſi componantur ex *Spir. Roriſmarin. Salviæ*, *Camomil.* & Addantur *Spiritus & Olea Lumbricor. Terreſtr. Sanguinis Humani*, *Ol. Cariophyllor. Semin. Aniſ.* & ſimilia.

De horum ſucceſſu noſmetipſi Oculati Teſtes teſtimonium perhibemus.

CAPUT XXIV.

De Iliaco affectu, vulgo Paſſione Iliaca.

1. EST dolor intenſiſſimus in inteſtini Tenuibus, & nonnunquam in craſſis, cum fæcum alvi retentione, & quandoque Vomitione.

2. *Cauſa*. Procedit plerumque ab inflammatione *Ilii*; a materia aliqua acri, (ſive Bili, ſive liquore Glanduloſo in auſteram diatheſin degenerato) cujus irritatione motus inteſtinorum periſtalticus inverti-

tur, & Spiritus Animales (ſicut in omnibus inflammationibus in furorem excitantur, & diſſipantur; qui tantum cient tumultum ut Tunicæ Inteſtinorum extendantur, & inteſtinorum meatus coarctetur & occludatur: quibus adde fæces induratas, flatus, Lumbricos, Hernias, &c. quæ (ad minimum) *Cauſæ Antecedentes* nuncupari poſſent.

3. *Signa*. Dolor acutus, & excretionis fæcum alvi privatio, & ſæpe Tumor durus in *Abdomine*, & ejuſdem diſtenſio flatuoſo, unde ſubſequitur omnium humorum in primis viis ſtabulantium vomitus & ſæpiſſime ipſarum fæcum alvi.

Si morbus procedat ab *inflammatione*, adeſt *febris* & calor intenſus: ſi ab quadam *obſtructione*, parum aut nihil febricitant: ſi a *flatibus*, dolor incertus de loco in locum vagatur.

4. *Affectus Iliacus* raro curatur niſi procedat vel a *flatibus* vel *fæcibus induratis*; quo caſu ſæpiſſime curam conſequimus.

6. *Cura*. Humores Auſteri ſunt corrigendi, motus inteſtinorum inverſus in priſtinum ſtatum reducendus; & perturbatio Spirituum Animalium temperanda eſt. Si adſit *Febris* initium ſumatur a *Venæſectione*, ſin alias, omittatur. Sed quomodocumque ſe habeat, *Enemata* ex *lacte* & *ſaccharo*, adjuncta *Eſſentia Caſtorei*, injicienda & ſæpius iteranda ſunt. Et, niſi adſint Vomitiones *Bilioſæ*, *Oleum Amydalarum*, vel *Olivar.* addi poſſet. Etiam *Juſcula pinguia* ore aſſumantur, & *Enematis* injiciantur. Et ſi dolor acerbiſſime urgeat, *Anodyna* (imo *Opiata*) una cum *Antiſpaſmodicis* exhibere fas eſt. Præcipue autem laudo *Caſtoreum*, quod Spiritus furibundos temperat, & compeſcit; & motum inteſtinorum directum reſtituit. Deinde non ſolum *Emollientia*, *Laxativa Unguenta*, ut *Unguentum Arthanitæ*, & fomentationes ex *Colocynthide* & *ſeminibus Carminativis* in *Spiritu Vini* infuſis &c. conducunt; ſed & *Enemata* & *Cathartica* leviora (prout exigit neceſſitas) denuo reiteranda veniunt.

CA-

CAPUT XXV.

De Ictero.

1. I*Cterus* eſt Cachexia integrum corpus colore nigro vel flavo tingens.

2. *Signa* ſunt appetitus iners, ſitis ſapor amarus in ore reſidens; quæ Symptomata ſubſequitur pruritus, quandoque flavus, quandoque niger color integram occupat corporis ſuperficiem, urina colore intenſe flavo prædita eſt, & linteum intinctum colore croceo inficit, adeſt & alvus conſtipata, & plerumque excrementa alba ſunt.

3. *Cauſa* plerumque eſt defectus debitæ evacuationis bilis flavæ in inteſtina; qui oritur vel a defectu fermenti appropriati quod illam a Sanguine ſeparet; vel ſi ſeparata ſit in Hepate, quidam meatus inteſtinorum occluduntur.

4. *Icterus* recens facillime curatur; ſed ſi inveteratus ſit, vel ſenio confectos corripiat, vel mulieres prægnantes: vel ſi morbi pejoris indolis concomitentur, ſi adſit Diarrhœa, vel ſi contingat afficiente febre ante Criſin, in omnibus hiſce caſibus difficilis eſt curatu: ſi procedat a morſu animalis venenati, vel ſi febrem ſubſequatur, nonnunquam hiſce morbis curatis & hiſce ceſſat; non tamen ſemper ita ſe habet.

5. *Cura.* Quæcumque cauſa Icteri aſſignetur, nihil adhuc novimus quod par ſi *Alkalibus Volatilibus Salinis*, vel Cahtarticis commixtis, vel in intervallis purgationis exhibitis. Quorum præcipua ſunt *Salia Volatilia*, & *Spiritus Lumbricorum*, *Millepedum*, *Urinæ*, *Salis Armoniaci*, *Viperar. &c.* Purgativa autem conficiantur ex *Rhabarbaro*, *Croco*, *Aloe*, & præcipue ex ſucco *Rhamni*, *&c.* Exempl.

℞. *Syr. de Spina Cervin. ab ℥j. ad ℥ij. Tinctur. Croci extractæ cum aqua Cinamom. ℥ij Spir. Sal. Armoniac. gut. xxx. vel xl.* Miſc. pro una doſi.

Mulieribus autem prægnantibus, vel in caſu quo

Cat-

Cathartica fortiora non conveniunt: horum vice.

℞. *Spir. Vin. Rectificant.* ℥x. *Sal. Volat. Urin.* ℥j. *Ol. Chymic. Abſynth.* ʒj. *Ol. Cinamom.* ℈j. *Croci Anglican. opt.* ℥j. Digerantur in vaſe vitreo bene obturato. Hujuſmodi remediis utatur æger ſæpius, & tantum ſingulis vicibus quantum commode aſſumere poteſt: vel ſi placeat, hujus vicem ſuppleat *infuſio Croci in Spir. Volatili Urinæ* pro vehiculo uſurpetur *infuſio florum Hyperici vel Chelidonii in Cereviſia Lupulata, vel Vino albo aut Rhenano*. Præter hæc ſunt & multa alia remedia, ut *Stercus Ovill. Aſinin. Canin. Caballin.* | *Anſerin. Gallinac. Rad. Rubiæ Tinctorum Alcannæ, Cucurma, Lapat. Acut.* Omnia remedia *Calybeata. Hepatica & Splenetica*; vel

1. ℞. *Milleped. Lumbricor. Croc. aa.* ℈j. f. pulvis pro una doſi.

2. ℞. *Pulv. Viperar. gr. xv. Croci, Sal. Volat.* C. C. *aa. gr. viij. Diaſcord. q. ſ.* f. bolus.

Si alvus prigior ſit, injici poſſent *Enemata*, ſpeciatim quando *Cathartica* uſurpari nequeunt. ------ Ultimo denique *Sudorifica* conducunt ad reliquias expellendas &c.

CAPUT XXVI.

De Hydrope.

1. HYdrops eſt præternaturalis collectio materiæ ſeroſæ vel flatium, abdomen & quandoque integrum corpus tumore afficiens.

2. Dicitur *Aſcites, Tympanites, & Anaſarca* vel *Leucophlegamatia*. *Aſcites* dignoſcitur ex tumore abdominis, & ſæpe pedum, femorum, & ſcroti. Corporis emacreſcentia, tuſſi & difficili reſpiratione urina pauca ſed ſpiſſa & ſæpe rubra: frequenti etiam ſiti, & facie flaveſcente.

Tympanites autem dignoſcitur ex hoc, quod abdomen flatibus diſtendatur, ſine ponderis ſenſu, & ſi pulſetur ſonitum edit.

Ana-

Anaſarca vel *Leucophlegmatia* pallidum & a tactu foveam relinquentem producit, per omnes corporis regiones diſperſum.

3. *Cauſa proxima* eſt ſerum vel lympha & fortaſſis chylus, quæ vel ex ipſorum vitio) quod nempe nimium ſeroſa, viſcida vel acria fiant) vel ex vitio vaſorum (quod nempe ab obſtructione quadam corrodantur & diſrumpantur) effluunt è pomeriis ſuis & collectionem præternaturalem alibi producunt, &c. *Tympanites* producitur a flatibus in ventriculo, inteſtini, vel meſenterio incluſis.

4. *Hydrops* morbus eſt periculoſus, ſed ſi recens, curabilis eſt; & facilius eſt *Anaſarcam*, quam alias ſpecies curare. *Tympanites* & *Aſcites* ſi inveteratæ raro curantur; præcipue, ſi difficilis ſit reſpiratio, tuſſis adſit, pulſus citatior virium collapſus, macies, urina pauca & intenſe colorata; ſitis permagna, &c.

5. *Cura* conſiſtit in obſtructionibus removendis, materia extravaſata evacuanda, & partibus corroborandis; Quem in finem omnia ſale condita, acida viſcida, & ſemicocta ſunt vitanda; ut & vinum, ſpiritus vini & omne potabile fortioris indolis; Pro potu utatur *Decocto Lignorum* cum *paſſulis*, cujus ſemipintæ add. *Sal. fix. Abſynth. Sambuc. Geniſt. Stramin. Fabar.* f. mixtura pro potu; vel (ſi lubeat) fiat ſacculus diætericus ex iiſdem conſtans. Vel.

℞. *Rad. Ari, Enul. Campan. Iridin., Liquirit. aa.* ℥ij. *flor. Ebuli, Sambuci. Centaur. minor. aa. M.* ij. *Summitat. Amar. Dulc. M.* ij. *Roriſmarin. Abſynth. aa. M*ß. *Sem. Aniſi, Fœniculi aa.* ℥j. f. Sacculus pro cereviſiæ tenuioris congiis iij.

In ejuſmodi vehiculis propinentur *Salia fixa* vel *Salia Volatil.* ut *Spir. Salis Armoniaci, Urina. Viperar.* &c.

Sæpiſſime etiam experti ſumus feliciſſimum eventum ex uſu ſequentis decocti, quod ſi per duas vel tres vices propinetur, maximam humoris aquei quantitatem, ſumma cum efficacia, educet. Quod ita ſe habet.

℞. *Sco-*

℞. *Scoloprend. Epatic. Sedi Major Salviæ Rubræ. Cochlear. aa. M. ij. Colocynth.* ℥j. *Raphan. Ruſtican.* ℥iij. *Pulv. Glycyrrhizæ* ℥ij. *Baccar. Juniper.* ℥iv. *Sem. Aniſi.* ℥ij. Decoquantur omnia in cereviſia fortiori cruda per ſpatium unius horæ. Deinde cum frigeſcere incipit, fermentetur. Fermentatione peracta artiſſime obturetur & reponatur per octo dies. Deinde detur uſui, tempore matutino, Stomacho Jejunio. Doſis ab ℥vj. ad *xij.*

Quandoque *acid. Spir. Nitri, Salis, &c.* & omnia *Diuretica*, multum pollent, ut & *Crocus, & Tinctura Martis* quæ ſemper exhibenda eſt, (præcipue in *Anaſarca* ;) purgatio etiam crebro repetenda eſt. Exempl.

1. ℞. *Reſin. Jalapp.* ℈j. *Croci Martis, Salis Abſynth.* (*vel Geniſt. aa. gr. x. Ol. deſtillat. Fæniculi, Anethi, aa. gut. viij.* f. pulvis vel

2. ℞. *Pulv. Jalap.* ʒß. *Syr. e ſucco Cucumer. Aſinini* ℥ß. *Tartar. Vitriolat.* ℈j. *Ol. Cinamom. Gut. iv. Liquirit. pulveris. q. ſ.* fiat bolus pro duabus doſibus.

Etiam *Pilulæ Lunares* vel *Vitriolum Lunæ* proſunt; ut & *Diaphoretica & Sal. Volatil. Buſoni* mixt. cum *Spir. Nitri, Antimonio Diaphoretico*, & *Bezoard. Mineral.* quæ (ſecundum *Riverium*) ſingulas Hydropis ſpecies feliciter curant.

Sed in *Tympanitide* & *aſcite* præter hactenus præſcripta *Enemata* etiam multum laudantur; ſpeciatim illa quæ ex *Hydrægogis* & *Carminativis* conſtant.

Externe *Emplaſtra, Cataplaſmata, &c.* uſurpanda ſunt, ut *Emplaſtr. e Bacc. Lauri. Stipticum Paracelſi, Cataplaſm. e ſtercore bovillo Caprino, Colubino, Oleo Scorpion. Unguent. de Arthanit*, & ſimilibus.

CAPUT XXVII.

De Lumbricis.

1. L*Umbrici* in variis corporis partibus creantur, & ut Dolæi verbis utar) *nulli ſexui aut ætati parcunt vermes*: qui autem in ventriculo & inteſtinis generantur maximi ſunt momenti: & eorum tres ſunt ſpecies.

1. Sunt rotundi & oblongi, non diſſimiles lumbris terrenis, & vocantur *Teretes*: Hi autem plerumque in ventriculo & inteſtino duodeno reperiuntur.

2. Dicuntur *Lati*, ſunt latiores & monſtruoſæ longitudinis, & non uſque adeo vulgares.

3. Dicuntur Aſcarides, ſuntque tenues, & numero reliquas ſpecies excedentes, & plerumque in inteſtino recto receptaculum ſortiuntur.

2. *Signa*, reſpiratio difficilis, halitus acidus & fetens tuſſis, dentium ſtridor, pruritus narium, vultus pallidus & ægritudinem præ ſe ferens, oculi profundius ſiti cæruleo circulo cincti: quandoque exceſſus, quandoque defectus appetitus; dolor, tormina, & diſtenſio abdominis; Sanguinis extenuatio, ſitis, febris, convulſio, Epilepſia, &c. Nota bene, omnia hæc Symptomata ſimul non occurrere.

Aſcarides pruritum ani producunt: & pro parte una cum fæcibus excernuntur.

3. *Cauſa* videtur eſſe cibus non rite fermentatus, ſed cum crudus in ventriculo & inteſtinis permaneat, corrumpitur, &c. quamquam & non deſint, qui ridicule ſatis, aſſerere, auſint, lumbricos generari ex ovis muſcarum, una cum cibo introſumptis.

4. *Lumbrici* rubri, multi & vivaces, male ſe habent: ſi mortui ſint pauci & albi, facilius curantur; *Aſcarides* non adeo difficulter: ſed in *Latis* curandis maximus eſt labor. Lumbrici ſoli e corpore prodeuntes in initio morbi, malum ſunt omen; ſed ſi declinatione morbi una cum fæcibus exitum quærant, bona prædicunt.

5. *Cura.*

5. *Cura*. *Lubrici* ſunt perimendi vel expellendi, materia illa cruda & pituitoſa evacuanda, & fermentum debitum reſtituendum eſt.

Omnia fere *amara* Lumbricos interimunt etiam *Acria Salia* & *Acida*, ut *Mirrha*, *Aloe*, *Radic. Rhabarb. Petaſitid. Zedoar. Gentian. Summitat. & Semin. Abſynth. Centaur. Tanacet. Colocynth. Rutæ*, *Angelic.* etiam horum *Salia* & *Olea Stillatitia*, ut & omnes Spiritus Acidi, ut *Vitrioli*, *Nitri*, *Salis*, *&c.* Quibus adde *Terreſtra* & *Alkalizata*; ſed præferenda ſunt *Mercurialia*, in caſu quo *amara* exhiberi nequeunt Ut.

1. ℞. *Mercur. Crud.* ℥ß. *Flor. Culphur. Saccar. alb. aa.* ℥j. *Miſc.* fiat pulvis Doſis ʒß.

2. *Mercur. Dolc. C. C. uſti Corallin. aa.* ʒij. *Sacchar. alb.* ℥ij. fiat pulvis.

Poſt hæc. (aut ſimilia) aſſunta, bibat æger ℥iij. *vel iv. Aquæ Graminis* in qua *Mercurius* decoctus fuerit: & quandoquidem purgatio neceſſaria eſt ad Lumbricos expellendos, aliquando addantur priori doſi *Reſin. Ialap.* vel *Scammo. gr. vij. x. vel xv.* Si autem Pilulas vel Amara exhibere fas eſt.

1. ℞. *Pilul. ex duobus* ℈j. *Mercur. Dulc. gr. vj* fiant Pilul. pro unica doſi.

2. ℞. *Pulver. Comitiſſ.* gr. xv. *precipitat. albi*, *gr. vj. Sacchar. albi*, ʒj. Miſc. pro una doſi.

5. ℞. *Rhabarb. Elect. Myrrh. Sem. Tanacet. aa.* ʒj. *Cinnabar. Antimon. Camphor. aa.* ʒj. *Ol. deſtillat. Rut. Angelic. Caryophyll. aa. gut. ij.* fiat pulvis pro 3., 4. vel 5. doſibus.

Omnia de *Aloe* participantia, ut *Pilulæ Rud. Ruff. ex tribus*, *&c.* juncta Mercurialibus, valde conveniunt.

Sed ſi adſit Diarrhæa *Rhabarbari* pulveriſati ʒj. reliqua antecedit, etiam omnia *Terreſtria*, & C. C. *uſtum Oleo Vitrioli q. ſ. imprægnatum* multum proſunt,

Externe *Emplaſtrum ex felle Tauri vel Bovis*, *Aloe & Pulpa Colocynthidos*, *cum guttis aliquot Olei deſtillati Abſynthii*, umbilico applicetur.

℞. *Ol.*

℞. *Ol. Vulgar. Rut. Abſynt. Sabin. aa.* ℥ij. *Pulveris Colocyntidos* ʒiij. Diger per 24. horas igne moderato. Inungatur Regio Umbilici hujuſmodi *Linimentis*, vel *Unguento de Arthanita*: Ungenta quidem Mercurialia Lumbricos æque ac Pediculos enecant.; ſed vix tuto adhibentur.

Aſcarides enecantur ab Enematis, vel ſuppoſitoriis, quæ componuntur ex amaris, ut Aloe, Colocynt. &c. prius tamen injiciendum eſt Enema de Lacte ad Lumbricos derſum alliciendos.

Purgatio etiam debitis intervallis repetita neceſſaria eſt ſicut ſupra præſcripſimus.

Quod ad Simptomata attinet, ut febres, Convulſiones, &c. Vide horum morborum curam propriam.

CAPUT XXVIII.

De Scorbuto.

1. EST Cacochimia, vel potius Sanguinis & aliorum Succorum prava Diatheſis.

2. Vel Hæreditarium eſt vel per accidens accedit; vel recens eſt, vel inveteratum; vel leve eſt, vel gravius & pertinax.

3. *Signa* ſunt varia, ut dolor capitis, quandoque Acris & Acutus, quandoque Heves & gravativus; niger Cutis Color, membrorum fatiſcentia, Diarrhæa, Dentium Collapſus; Gingivarum humor, pruritus, dolor; & ſanguinatio; pectoris infarctus, halitus fetens, Palpitatio, Appetitus pravus & inconſtans. Tormina ventris, alvus nimium conſtipata, vel nimium ſoluta, urina pallida, quandoque rubra & ſabuloſa; Vomitus, Ructus. Singultus Machulæ in cutis ſuperfice apparentes, rubræ cærulæ & nigræ, quandoque in ulcera inveterata degenerantes; etiam tremor, oſſium crepitus, & articulorum contractio, Hebetudo Vertigo, Convulſiones. Epilepſiæ, Podagra, Melancolia, &c. Notandum autem omnia hæc Symptomata ſimul & ſemel in eodem ſubjecto non occurrere.

4. *Cauſa* eſt acrimonia ſeu aciditas quædam in ſanguine;

guine; prior muriatica ſua acredine conſiſtentiam pervertit, unde nimium atenuatur, & depauperatur; poſterior ſuo acore maſſam ſanguineam coagulat & inſpiſſat, &c. Exinde vitiatur Lympha, & conſequenter Ventriculi fermentum.

Cauſæ accidentales eruendæ ſunt ex uſu irregulari ſex rerum non naturalium, Climatis natura, ſanguinis diſpoſitione hæreditaria, & .

6. Hic morbus eſt de Cronicorum genere difficulter curatur, & ejus *Prognoſtica* dubia ſunt & infida. Si recens ſit, & juvenes & Corpore Robuſto præditos afficiat, curabilis eſt, (ſpeciatim ſi ex accidente aliquo proveniat): ſed ſi hæreditaria, vix ita abigi poteſt, quin denuo redeat.

6. *Indicationes Curativæ* conſiſtunt in fermentis depravatis rectificandis, ſanguinis Dyſcraſia emendanda, materia morbifica eradicanda, & in facultatibus Digeſtivis & Vitalibus roborandis: quæ omnia per ſtadia intermedia præſtanda ſunt.

Primo, æger hoc ſemper attendat quod utatur cibis Eupeptis; & ſibi caveat de omnibus Salitis, Acidis, Muriaticis, & Saccharo impræ gnatis; Cereviſia (quam bibit) ſit bene cocta, & juncta *Antiſcorbuticis* præcipue præparationibus quibuſdam *Calibeatis*; deinde priuſquam humores purgationibus excitentur, exhibeantur *Abſorbentia* ad acrimoniam corrigendam.

℞. *Croci Martis Bezoar. Mineral. & Iovil. aa.* ℈j. *Ol. Cinnamom. Aurantior. aa. gut.* ij. Miſc. fiat Pulvis. Pro una doſi.

Perſiſtat in uſu hujus (vel huic ſimilis) per aliquot dies. Deinde ſi ventriculus fœditatibus ſcateat, & vires permittant, propinetur *Emeticum*, & etiam catharticum, ſed & hoc illud lenius eſſe debet, & prout poſtulat neceſſitas, repetendum eſt (præcipue chatharticum) adjunctis Antiſcorbuticis: Inter quæ ſi peccet accidum, hæc ſunt præcipua, *viz*, *Cochlearia*, *Anagallis Aquatica*, *Perſicaria*, *Abſynthium*, *Chelidon. Naſturt. Aquat. Rad. Raphan. Ruſtic. Petaſitid. Zedoar. Angelic. Baccæ Iuniperi*,

niperi, *Cinamom* , *Pyrola* , *&c.* Sed Salia Volatilia è regno animali & Spiritus , ut *Lumbricorum Terreſtrium*, *Viperarum* , *&c.* maxime ſunt efficacia in Sanguine vivificando , & invigorando : quod nempe omnem hebetudinem , melancholiam , &c. amoveant : Exemplum.

℞. *Spir. Abſynth. Choclear. aa.* ℨij. *Sal. Volat. Viperar.* ℨß. *Ol. Baccar. Iuniper. Cinnamon. aa.* ℈j. Miſce ſimul incorporando, doſis gut. 40. in *Aqua Angelicæ*.

Sed in Temperamento Sulphureo Salino , (ut ait *VVilliſius*) in quo puta ſanguis attenuatus & depauperatus exiſtit ; *Beccabung. Fumaria*, *Epatica*, *Endivia* , *Scolopendria* , *Dens Leonis* , *Sedum minus* , *Lujula*, *Rad. Polypod. Petroſelin. Cichor. Fœnicul.* etiam *Aurantia*, *Citra*, *Pruna Damaſcena*, *Limones* : omnes ſpiritus acidi , ut *Salis Sulphuris*, *Nitri* , *&c. Ens Veneris* , *Sal. Chalibis* ; & omnia *Terrena*, & ſimilia , ſpeciatim ſi adſit *Diarrhæa*, locum obtinent .

℞. *Succi Beccabung. Scolopendr. aa.* ℥iij. *Aq. Lujulæ* lib. j. *Ent. Ven.* ℨij. *Spir. Salis q. ſ. ad moderatam acciditatem*, *Syr. Fumar.* ℥iij. Miſc. doſis ℥iij. vel *iv.*

Si *Tartarea* viſciditas in Sanguine hoſpitetur , *Salia fixa* vegetabilium hactenus deſignatorum multum valent (ſpeciatim ſi adjungantur *ſpiritibus Mineralibus* ut *Vitrioli* , *ſalis &c.* vel Tartaro Vitriolato, quandoque etiam Aromaticis , ut *Oleis & ſpiritibus Cariophyllior . Nucis Moſchatæ*, *Fœniculi*, *Aniſi*, *&c.*) diſcutiunt etiam, incidunt , & attenuant Mucilaginem illam ventriculi plicis & meatibus chyliferis impactam.

Sed & inſuper conveniunt etiam aquæ acidulæ & minerales ſerum è lacte caprino, & ſimilia diluentia, ſi non ſola , ſaltem pro vehiculis .

Quoad varia ſymptomata & affectus . *Scorbutum* concomitantia, ſive ab ipſo *Scorbuto* originem trahant, ſive accidenti alicui exiſtentiam ſuam debeant , *Sennerti* regula ſemper firma manet , viz. Talia adhibenda eſſe medicamina , qualia ſymptomata illa , & affectus illi propria cura poſtularent ; ſemper tamen junctis *Antiſcorbuticis*.

Quod ad *Cathartica* attinet, vide horum exempla in capite ſequenti.

CAPUT XXIX.

De Affectu Hypochondriaco.

1. Eſt corporis & animi, Ataxia.

2. Signa ſunt incerta, ſæpe quidem appetitus latrans, ructus acidi, vomitus, ſputatio copioſa, flatus tormina, dolores lumborum & Hypochondriorum reſpiratio difficilis, animus torpidus, & rebus ſuis nunquam acquieſcens.

3. *Cauſa* eſt acris, acida, & tenax pituita, in ventriculo, Glandulis ſalivalibus, pancreate, meſenterio, &c. unde ſuccus nutritius nimium exacuatur, & ſpiritus animales torpidi, caliginoſi, & inordinati exiſtunt.

4. Hic morbus magis moleſtus eſt & tædium movens, quam periculoſus: urina limpida & alvus conſtipata mala habentur *Signa*; urina ſpiſſa, nigra, ſine febre; magis fauſta prædicit.

5. *Cura* non multum differt a curatione *Scorbuti*; incipiendum eſt a præparativis, ut

℞. *Calybis præpar. Oculor. Cancr. Bezoar. Mineral. aa.* ʒ*ij. Caſtor.* ℈*j. Ol. diſti. Thymigut. x. fiat* pulvis pro quatuor vel quinque doſibus; interea dum hoc uſurpatur: injiciatur Enema unum aut alterum, ſi alvus pigra ſit, ſicut plerumque ſe habet; deinde ſemel vel bis per ſeptimanam purgetur æger hoc, aut ſimili Carthartico.

1. ℞. *Pilul. de Ammoncoc. Quercetam* ʒß. *Extract. Hellebor. nigr.* ℈*j. Tartari Vitriolat.* ℈ß. *Ol. Succ. Majoran. aa. gut. iij.* fiant Pilulæ pro duabus doſibus.

2. ℞. *Pilul. Tartar.* ℈*j. Extract. Colocynht.* ℈ß. *Caſtor. Sal. Volat. Viper. aa. gr. v.* fiant pilulæ pro unica doſi. Vel,

3. ℞. *Decoct. Sen. Gereonis* ℥*vj. Ent. Veneris* ℈*j.* Miſce pro una doſi, vel

℞. *Sen-*

℞. *Sennæ* ℥iij. *Epithym. Guaiac. Saſſafr. Rad. Polypod. Liquirit. Petrozelin. aa.* ℥ij. *Sem. Aniſi, Fœnicul. Baccar. Juniper. aa.* ʒj. *Summitat. abſint. Centaur. an.* M. j. *Limatur. Ferri prius preparati cum Sale Tartari* ℥vj. fiat Sacculus pro congiis ij. vel iij. Cereviſiæ.

Hujuſmodi præſcripta bis vel ter per ſeptimanam exhibeantur, per integrum curationis ſtadium, alvus enim ſemper ſolutior eſſe debet.

Si autem Ventriculus ſarcina impura gravetur & adſit Vomendi conatus, *Emetica*, debitis interſtitiis obſervatis, apprime conducunt.

Quod ad præparantia & alterantia intermedia, quæ in Therapeja Scorbuti pro Specificis tradidimus, hic etiam pro iiſdem habenda ſunt; obſervato tamen ægrotantis temperamento, prout ibidem docuimus. *Tinctura Croci* vel *Vitriolum Martis*, *Salia Urinoſa Animalium*, (vel *Salia Volatilia Oleoſa*, ad cramben uſque a nobis inculcata) & *Ens Veneris*, præcipua ſunt, & quodvis aliud remedii genus, vel in hoc morbo, vel ſcorbuto curando, longe antecedunt; nemini enim non notum eſt quanta vi polleant in obſtructionibus reſerandis, & quam plurimos alios affectus egregii ſane nominis producant, quos tamen hic recenſere nec fas, nec neceſſe eſt.

CAPUT XXX.

De Rachitide.

1. R*Achitis* inter juniores graſſatur, hic in Anglia vulgaris eſt & infantibus appropriatur, quos plerumque invadit inter ſextum ætatis menſem, & annum ſecundum, vel ſecundum cum dimidio; & niſi curetur ante annum quintum, puer ſtatura deformis, Nanus, vel toto vitæ Curriculo Valetudinarius exiſtit.

2. *Signa*. Caput mole grandius quam in hac ætate vulgo exiſtit, Facultas intellectiva etiam magis matura quam in aliis qui eundem annorum nume-

rum exeleſunt; dorſum & oſſa incurvata, vel circa articulos, & coſtarum extremitates prominentia, abdomen duritie & tumore affectum, cutis laxa & flaccida; pectus anguſtum, Reſpiratio difficilis, Tuſſis, omnium partium debilitas, Movendi & Ludendi faſtidium, &c.

3. *Cauſa* eſt (plerumque) obſtructio in Medulla ſpinali vel nervis ex illa prodeuntibus, unde influxus Spirituum Animalium in Sanguinem inhibetur, unde fit quod fermentum nutritium in illis partibus deficiat.

4. Raro lethalis eſt (per ſe ſolam) & ſi febrem ſubſequatur, & adſit ſcabies, aut ſymptomata leviora, facilime curatur.

Sin autem ægrum citius (in prima nempe pubeſcentia) invadat, & ſymptomata tetriora appareant & in deterius vergentia, cum notabili partium diſproportione, ægre curabitur, & ſi corpus macie confectum fuerit, ex Aſtmate, Febre Hectica, Phtiſi, &c. Nullus hominum auxiliari potens eſt.

5. *Cura* conſiſtit in obſtructionibus removendis, & partibus affectis roborandis: Primo itaque ſi tormina ventris, & alvus conſtipata offendant, exhibeatur *Enema Laxans* ut.

℞. *Decoct. Commun.* ℥vj. *Ol. Lumbricor. Terreſtr. Saccar. Gryſei aa.* ℥j. fiat Enema. Addi poſſent & *Manna*, *Semina Carminativa* & *Arthritica*, ſi opus foret. Si prægravetur ventriculus, detur, *Oximell. vel vin. Scyllitic.* ℥ſs. *vel* ʒvj. *vel Salis Vitrioli* ℈j. vel ſi infans robuſtus fuerit *Tartar. Emetic. gr. ij. vel. iij.* Sed in emeticis ordinandis pro circumſtantiarum varietate, ferendum eſt judicium. Quomodocumque autem ſe habet, cathartica debitis intervallis propinata, ſemper conveniunt, non tamen fortiora quam ut tres, quatuor, vel quinque dejectiones per diem producant.

℞. *Epatic. Capill. Vener. Scolopendr. Vulgar. aa.* Mj. *Rad. Polypod. Oſmund. Regal. aa.* ℥ij. *Epithymi, Sennæ aa.* ℥j. *Cremor. Tartar.* ℥ſs. *Ent. Vener.* ʒij. *Aquæ puræ* lib. ij. Infund. per horas 24. colaturæ adde *Mannæ Syr. Roſar. Solutiv. aa.* ʒiij. vel,

♃. Re-

℞. *Reſin. Jalapp. Mercur. Dulc. aa. gr. iv.* cum *pulpa pomi* fiat bolus pro una doſi. In Rachitide Secifica ſunt quæ ſequuntur; *Rad. Oſmund. Regal. Filic. Maris. Graminis, Scolopend. Vulgar. Conſolid. Epatio. Rad. Aperient. omnes. Sumit. Rutæ Murariæ, Salviæ, Roriſmarini, Capili. Vener. Epatic. Anagall. Aquat. Agrimon. Tamariſci, Naſturt. Aquatic. Veronic. Mar.* Quibus adde omnia *Armoniaca, Mellepedes, Lumbrici Terreſtres. Ebur.* C. C. *&c.* præcipue eorum *Salia Volatilia*, & *Spiritus*, vel ſi *Salia* ſint *Fixa* addantur guttæ quædam *Spirituum Acidorum Salis Sulphuris &c*, evaporando humiditatem, hæc enim egregia ſunt Medicamina, & viribus vix cedunt *Ent. Veneris*, quod in hoc morbo famigeratiſſimum eſt. Præſtat tamen conficere *Apozemata, Decocta, Infuſiones &c.* Vegetabilium pro vehiculis ad Salia illa *Armoniaca & Spiritus* ultimo memoratos, diluenda & digerenda. Exempl.

℞. *Aq. pur.* lib. iij. *Rad. Oſmund. Regal. Capill. Veneris, aa.* M. j. *uvarum Corynthiacar.* ℥*iv.* Coque: Colaturæ lib. ij. adde *Tinctur. Croci* (in *Spiritu. Roriſmarini*) *Ent. Vener. aa.* ʒ*ij. Syr. e ſucco Epatic.* Miſc. doſi ℥iij. ter in die.

Externe Fomentationes & Unguenta conveniunt, ut,

℞. *Flor. Salviæ, Chamom. Sambuci, Summitat. Lavendul. aa.* M. j. *Rad. Oſmund. Regal.* ℥*iv.* Coq. in Aq. fontan. q. ſ. ad. lib. ß. cui adde *Spir. Roriſmarin.* ℥*vj.* pro fetu. Vel ſi magis arrideat hoc Celeberrimi Viri Domini *Maiovv.*

℞. *Folior. Sambuc Laur. Majoran. Salviæ Roriſmarin. Beton. Summitat. Lavendul. aa.* M. ij. *Baccar. Iuniper. Lauri, aa.* ℥*j.* Contuſis adde *Butyr. Majal. recent.* lib. *iij. Aq. Vitæ* ℥*viij.* Leniter coquantur ad aquæ conſumptionem. Expreſſioni adhuc calenti adde *Ol. Nucis Moſchat. per expreſſ.* ℥ß. *Balſ. Peruvian.* ʒ*j.* Miſce. Fiat Unguentum Vice autem *Butyr. Maial.* uſurpari poſſet *Medulla Bulæ Seuum ferinum, Oleum Lumbricorum, &c.*

De remediis Chirugicis vide ſcripta Doctiſſimorum Virorum *Fliſſoni, & Majovv.*

CAPUT XXXI.

De Affectibus Renum & Veſicæ.

1. *Calculus Renum* dolorem in Lumbis fixum producit, cum Vomitu, &c. Urina primo lympida, & quandoque ſanguinea, poſtea tamen ſpiſſa evadit, cum ſedimento ſabuloſo; urina quandoque ſupprimitur, quandoque lapilli & materia viſcida una expelluntur; adeſt etiam femorum ſtupiditas.

2. *Cauſa* eſt ſolutio continui, vel a lapillo vel ſabulo in renibus, Uretibus; &c. hærente; vel a lympha acri eoſdem vellicante, &c. Quo autem pacto calculus in corpore humano generetur conſule Authores qui hoc ſuper themate conſulto ſcripſerunt, præcipue autem *Barronem Helmontium*.

3. *Calculus veſicæ* dignoſcitur ex ſubita urinæ ſuppreſſione ipſo meiendi tempore, pruritu circa regionem pubis &c.

Si ſit urinæ ſuppreſſio dicitur. *Iſcuria*: ſi mingendi ſit difficultas una cum dolore dicitur *Dyſuria*: ſi guttatim effluat cum ſenſibili ardore, *Stranguriæ* nomen ſortitur.

4. *Diabetes* eſt affectus, quo perciti nimis crebro & copioſe urinam reddunt, una cum ſiti & totius corporis tabe: *Cauſa* præcipua eſt fermentum in renibus vitioſum & depravatum, unde ſeri nimia quantitas a ſanguine ſeparatur.

5. *Dolores Nephritici* a calculo oriundi periculo pleni ſunt: *Febres*, *Inflammationes*, *Iſchuriam*, *Dyſuriam*, *Stranguriam*, *Ulcera &c.* producentes; Si Urina lympida perſiſtat, malum eſt omen; ſi ſpiſſior evadat, paroxyſmum pedem referre ſignificat. Si dolor hic nullis remediis cedat, & adſint ſudores frigidi, Leipothymiæ, &c. mortem adſtare ſignificant: ſi affectus ſit hæreditarius, & ſenio confectos corripiat, nullam curam agnoſcit; ſicut & *Diabetes* inveterata, & iiſdem circumſtantiis veſtita.

6. Cura. In paroxyſmo initium ſumatur ab *Enematis*

Emol-

Emollientibus, ex *Lacte recenti & Vitellis Ovorum*, *numer* 2. Vel ſi magis arrideat ſubſtituatur hoc ſequens;

℞. *Decoct. Commun. pro Clyſter.* lib. j. *Ol. Chamomil.* ℥ij. Miſc.

Si adſit febris, inflammatio, aut plæthora, conducit Venæſectio; utcumque ſit, ſæpius ſubducatur alvus enematis, vel remediis laxativis *v. gr.*

℞. *Elect. Levit.* ℥ij. *Diaſen.* ʒiv. *Milleped.* ʒiß. *Spir. Salis ad gratam aciditatem*, miſce doſis ad ℥ß.

Sed ſi dolor valde urgeat, *Anodyna*, *Emulſiones & Opiata* una cum *Specificis* magis conducunt.

℞. *Sem. quatuor frigid. aa.* ℥ij. *Sem. Urtic. Violar. aa.* ℥iij. *Aq. Deſtillat. Perſicar. Petroſelin. aa.* lib. iß. fiat emulſio. Adde *Syr. de Althæa* ad dulcorandum. Interea autem dum hæc uſurpantur; partes dolore affectæ foveantur. *Oleo Scorpion. Fornicar. Lilior. Chamomill. Unguent. Popul. Althææ, &c.* Quibus adde *Olea Chymica*, *Aniſi*, *Fœniculi*, *Anethi*, *&c.*

Nephritica & *Stomachica* hic etiam conveniunt, e quibus, quæ ſequuntur præſtantiora ſunt, *Millepedes*. *Lumbrici Terreſtres*. *Sanguis Capri*, & eorumdem *Salia Volatilia*; *Nitrum*, *Spiritus Nitri dulcis*, *Spiritus Vitrioli dulcis*, *Spiritus Salis dulcis*. *Teſtæ Teſtudinum*, *Teſtæ Ovorum*, *Oculi Cancrorum*, *Dactyli*, *Nuclei Perſicorum*; *Rad. Althææ*, *Glycyrrhizæ*. *Bardanæ*, *Petroſelini*, *Filipendulæ*, *Semen Aniſi*, *Feniculi*, *Urticæ*, *Petroſelini*, *Dauci*, *&c.* & eorum *Olea ſtillatitia Semina quatuor frigida majora*. *Semen Papaveris*, *Violarum &c.* *Cryſtallum Sal*, *& Tinctura Tartari*, *Salia Lixivalia e quolibet Vegetabili*; *Balſama Naturalia*, *& Balſamum Sulphuris*, *Terebentina*, & omnia quæque *Diuretica*: ex hiſce varie fieri poſſunt compoſitiones; quæ variandæ ſunt pro cauſæ exigentia, & Medici Judicio.

Paroxyſmo ferociam mitigante; ſi ſabulum, &c. evacuetur, dentur *Terebinthina*, *Balſama*. *Oleum Amygdalarum*, *Oleum Nucis Avellanæ*, cum *Manna*, & *Laxativis levioribus*; ſi nihil ſabuli evacuetur, *Salia Volatilia Oleoſa*, ſunt præſtantiſſima.

In *Calculo* curando, eadem obſervanda eſt curandi ratio: In *Dyſuria*, *Iſcharia* & *Stranguria*, *Phlegmagoga* tenuiora, & *Abſorbentia* (ut *Oculi Cancror. &c.*) & ſimilia acrimoniam corrigentia, exhibere ſoleo.

In *Diabete*, *Enemata Refrigerantia*, *Purgantia leviora*, *& Incraſſantia* ut *Gummi Arabicum*, *Tragacanthæ*, *Terra Sigillata*, *Plantago*, *Portulaca*, *Emulſiones*, *Opiata*, *&c.* exhibenda ſunt.

CAPUT XXXII.

De Dolore Arthritico & Rheumatiſmo.

1. ARthritis eſt dolor acutus Articulorum. *Rheumatiſmus* autem non ſolum ipſas Oſſium junctaras, ſed & ſpatia intermedia afficit, & per alia quælibet loca, ſæpiſſime ſine tumore, huc & illuc vagabundus fertur.

2. *Arthritis* quæ manus afficit, dicitur *Chiragra*; quæ pedes *Podagra*; quæ Genua, *Gonagra*, quæ lumbos aut Iſchiam, *Sciatica*, vel *dolor Iſchiaticus*; Generali autem nomine audit *Arthritis*.

Plerumque periodica eſt & particulari membro affixa; quandoque hæreditaria, quandoque adventitia.

3. Cauſa doloris Arthritici, cujuſcumque ſit generis, eſt acidum tantilla licet quantitate, junctum particulis volatilibus & etiam lixivialibus, quæ cum in ſanguine ſitæ ſint, ope formenti cujuſdam extravaſantur, & in partes impunguntur, & ibidem ſtagnant: & prout magis vel minus ſint Volatiles, acidæ, acres, &c. eo magis vel minus coagulantur, & partium affectarum fibras nervoſas irritant & vellicant.

4. *Arthritis* raro Lethalis eſt, incerta tamen eſt cura, & tempus mire protrahit, qui juvenes, & Medicorum mandatis obtemperare parati ſunt, feliciter ſatis liberantur; qui tamen provectiori gaudent ætate. Arthritide etiam inveterata & hæreditaria exiſtente; omnia remedia incaſſum uſurpant: neque hoc in caſu in quidquam præſtare poſſibile erit, donec

nec remedia nobiliora & magis exaltata, quam quæ hodie apud *Galenicos* & *Chymicos* artis filios vulgo proſtant, nobis innoteſcant.

Si ſubito partem ullam Nobilem & principalem, Ventriculum, Pulmones, &c. invaſerit, atrociſſima Symptomata producit, nec niſi morte mediante ſævire ceſſat.

5. *Therapeia* durante paroxyſmo, ut dolor allevietur, *Anodyna* & *Diaphoretica* conferunt.

1. ℞. *Ocul. Cancror. Cinnabar. Nativ. aa.* ℈ß. *Laudan. Londin. gr. ij. Sal. Volat. C. C. gr. iij.* fiat pulvis, pro una doſi.

2. ℞. *Spirit. Lumbricor. Terreſtr.* ℈*j. Aq. Saſſafr.* ℥*vj. Tinctur. Croci in Spirit. Hederæ Terreſtr.* ʒß. *Syr. Papav.* ℥*j. Laudan. Liquid. gut. xx.* fiat Julapium. Sumat ſubinde Cochlearia bina.

Si alvus conſtipata fuerit, *Enemata* leviora conducunt quandoque etiam non abs re foret *Catharticum* aliquod fortius exhibere ante paroxyſmum, imo & ad ipſum paroxyſmi primum adventum, ſi articuli ſint robuſti: Sed ſi paroxyſmus hactenus ægrum corripuerit, purgatio plerumque nocet.

In initio paroxyſmi, ſi *Febris* vel *Plæthora* adſit *Venæſectio*, *Cucurbitulæ* & *Veſicatoria* ſæpiſſime bono cum fructu uſurpantur. Hæmorrhoidum fluxus etiam conducit, ſpeciatim in dolore Iſchiatico.

Inter *Topica* huic affectui appopriata, *Spiritus Armoniaci Oleis Stillatitiis infarcti*, ut *Lumbricor Terreſtr. Sanguin. Human. Oſſ. human. &c.* in quibus diſſolve *Opium* vel *Camphoram*; hæc, inquam, ſine pari ſunt, in quolibet *Arthritidis* genere, pro partibus dolore affectis fomentandis.

Extra Paroxyſmum; *Cauſæ Accidentales*, ut Mœror, ſtudia immoderata, Veneris uſus nimius, & præcipue nimia cibi ingurgitatio, & crapulæ, maxima cum cura ſunt fugienda; & diæta appropriata ſtricte obſervanda eſt. Si Ventriculus impurus exiſtat, *Emeticum* tenuius a quibuſdam laudatur; utcumque ſit, *Purgativum* e fortiorum genere ſine dubio confert: Ex. gr. *Pilulæ ex duobus*, *Pilulæ Tartareæ*, *&c.* cum *Mercurio dulci*.

In-

Inter *Alterativa*, omnia fere *Antiſcorbutica* & *Nephritica* laudantur.

Rheumatiſmus, eodem fere modo quo *Arthritis*, curatur.

Nos quidem pauciſſimos unquam vidimus hoc affectu percitos, quibus *Veneſectio* frequenter inſtituta (ſaltem pro virium ratione) nocebat; ſed e contra plurimos novimus quibus in maximum commodum ceſſit, ſpeciatim ſi in principio morbo celebretur. *Purgatio* autem noxia eſt. Quod ad reliqua attinet, *Spiritus Volatiles Armoniaci* junctis *Anodynis* ſola ſunt Medicamina (& interne & externe uſurpata) quæ hunc affectum propellere valent.

CAPUT XXXIII.

De Febribus in Genere.

1. FEbris eſt Arteriarum pulſatio citatior, & Sanguinis efferveſcentia præternaturalis, ut & Spirituum Animalium conturbatio, orta a particulis heterogeneis texturæ Sanguinis inimicis.

2. *Febres* dividuntur in *Continuas*, & *Intermittentes*; intermittentium præcipuæ ſunt *Quotidianæ*, *Tertianæ*, & *Quartanæ*; ſuntque vel *Simplices* vel *Compoſitæ*; vel *Leviores* vel *Malignæ*.

3. Omnia Viſcera, ut & omnes corporis partes hoc affectu perſtringuntur, præcipue autem viæ primæ, ſeu vaſa ibidem ſita) Ventriculus, Pancreas, Glaudulæ omnes, Meſenterium, vaſa chylifera & Lymphatica, una cum meatibus ſanguiferis.

4. *Signa* ſunt pulſus celer præter naturam, dolor capitis acutus & pulſativus, Lumborum dolor vehemens, rigores quandoque frigidi, calor externus &c.

5. *Cauſa* omnium *febrium* eſt deducenda a particulis extraneis & incongruis Sanguini commixtis, quæ naturali ejuſdem mixturæ & conſiſtentiæ adverſantur; unde principium vitæ oppugnatur, &c.

Cauſæ Accidentales plerumque proveniunt a Lympha,

pha, Bile, Chylo, vitiatis ab indebita excernendorum retentione, irregulari cibi & potus uſu; aere in frigidum vel etiam in calidum vergente, quandoque infecto & corrupto, vulneribus, ulceribus, &c.

6. *Cura* conſiſtit in Sanguine ad priſtinum & naturalem ſtatum reducendo & Spiritibus Animalibus perturbatis denuo conpeſcendis. In quem finem omnes *Cauſæ Procatarticæ* & *Accidentales* procul exulent, debitus ordo in uſu ſex rerum non naturalium diligenter obſervetur: Comeſtio in febrium excandeſcentia plerumque nocet: excernenda & retinenda juſtum tempus & quantitatem debitam (ſecundum naturalem ægri conſtitutionem) obſervent. Sed in ipſo febris principio, vel potius ante ejus adventum, Vomitus, Purgatio, & aliquando Venæſectio, conducunt; evacuant enim particulas quaſdam materiæ febrilis.

Quando autem febrilis hæc materia hactenus in fermentationem excitata eſt talia præſcribenda ſunt quæ non ſolum fermentationem compeſcant; ſed & obſtructiones reſerent, cruditates, aciditatem & acrimoniam particularum in meatibus chyliferis, lymphaticis, &c. latitantium, amoveant & corrigant.

In *Febribus Continuis*, *Diaphoretica* multum faciunt, ut *Bezoard. Mineral. Margaritæ*, *&c.* precipua autem *Salia Volatilia*, & *Spiritus Viperarum*, C. C. *Urinæ*, *&c.* Hæc enim *Diaphoreticis* juncta, & in vehiculis appropriatis adminiſtrata, ſudorem levem provocant, unde obſtructiones reſerantur, & fermentum illud febrile vel præcipitatur; vel excernitur.

Inter Refrigerantia præſtant *Sal Prunellæ*, *Camphora*, *Spiritus Nitri*, *Salis*, *Sulphuris*, *Vitrioli*, *&c.* Hæc conveniunt in omnibus febribus ardentibus: in Aqua hordei aut ſimili propinata. In omnibus febribus quæcumque actu frigida, aut aqua frigida, &c. nocent.

CAPUT XXXIV.

De Febre Ephemera, & Synocho Simplici.

1. SI febris ſpatio viginti quatuor horarum termine-tur, dicitur *Ephemera*, ſi per duos aut tres dies perſiſtat, dicitur *Synochus ſimplex*, vel febris continua non putrida.

2. *Ephemera* incipit ab Algore levi, quem ſubſequitur Calor febrilis, qui ſine paroxyſmis continuatur, febre *Continua* exiſtente, Symptomata violentiora ſunt. Si a Calore nimio oriatur febris, incipit ab Algore.

3. *Cauſa* eſt Sanguinis perturbatio ex uſu irregulari ſex rerum non-naturalium, ut ex aere nimium Calido vel Frigido, animi affectibus, Cibo, vel Potu in Ventriculo ſtagnantibus & Putrefactis; ſubita pororum corporis occluſione, quando humores multum exagitantur & tranſpiratio inhibetur.

4. *Ephemera* plerumque ſua ſponte ceſſat; *Synochus* etiam *ſimplex* non uſque adeo periculoſa eſt; ſed ex defectu propriorum adminiculorum in *Putridam* vel *Hecticam* degenerat.

5. In *Curatione* promovenda, attendendæ ſunt *Cauſæ*; *vid. Sylvii Praxin. lib.* 1. *cap.* 28. In febribus continuis venæſectio confert, deinde ſudor mollis poſt venæſectionem celebratam plerumque febrem ſolvit V. gr.

℞. *Bezoard. Mineral. Gr. x. Sal. C. C. Camphoræ, aa. gr. jv. Cum Conſerv. Flor. Calendul.* fiat Bolus ad ſudorem promovendum.

Sed ſi alvus conſtipata fuerit, prius injiciatur enema. In hoc caſu etiam conferunt Refrigerantia, de quibus vid. caput proxime præcedens.

CA-

CAPUT XXXV.

De Febre Putrida & Ardente.

FEbris *Putrida continua*; ſine intermiſſione perſeverat a primo aggreſſu ad exitum; aliquando tamen, vel quotidie, vel tertio, vel quarto quoque die Paroxyſmum inducit, & exinde denominatur *Continua*, *Quotidiana*, *Tertiana*, vel *Quartana &c.* *Febris Ardens* conſtanter ægrum affligit cum ſiti vehementi & inextinguibili. Quæ reliqua Symptomata addiſcuntur ex aliis *febrium* ſpeciebus, ſive *Continuæ* ſint: ſive *Intermittentes*, ſive de utriuſque natura participent.

2. *Cauſa* eſt materia quædam vitiata & Putrefacta, quæ cum ſanguini communicetur litem excitat inter particulas *Acidas* & *Alkalizatas*, unde ſanguis in ebullitionem confuſam cietur: & quo magis particulæ prædominantes de calore, Acrimonia, aut Bile participent, eo magis pervertitur ſanguinis craſis, & Symptomata morbi magis ingraveſcunt. Si materia hæc corrupta (ſive in Lympha, ſive in ſucco Pancreatico, ſive in ipſo Chylo, hoſpitetur) pro parte in vaſibus hiſce obſtruatur (ſaltem pro modico tempore) quando denuo ſanguini redditur: veriſimile eſt exinde efferveſcentiam febrilem magis augeri.

3. Omnes *Febres Ardentes* periculoſæ ſunt; ſed judicium particulare non ferendum eſt, niſi ex ſymptomatum vehementia & ægri viribus, rite perpenſis. Senibus plerumque lethales evadunt. Si Urina ſpiſſa ſit & craſſa, magnam ataxiam in ſanguine indicat; Si tenuis & rubra appareat, adhuc majus eſt diſcrimen; & ſi albeſcat mortem præſignificat. *Febris Continua Quartana* diu perſiſtens ſæpe in Hydropem degenerat.

4. *Therapeja*. In principio *Febris Acutæ & Ardentis*, æger ab omni carnis uſu inhibendus eſt, & diæta tenuis imperanda eſt, ut *Panatella*, *Juſcula Hordeata*, *&c.*

Sed

Sed in morbi declinatione, & febribus longioribus plenior victus concedatur, ut juſcula (& quandoque caro ibidem incocta) & præcipue *Gelatinæ* ex *Carne Vituli*, *Pullorum*, *Perdicum*, *&c.* quibus adde *Gelatinam C. C. &c.* pro potu *Serum Lactis Deſtillatum* convenit; ut & *Aqua Hordei Tincturam Roſarum Violarum*; Decocta *Acetoſæ*, *Lujulæ*, *Portulacæ*; *&c.* Quæ acuantur (ſi placeat) *Succo Limonum*, *Citrorum*, *Spiritu Sulphuris*, *Salis*, & præcipue *Nitri* Exemplum.

℞. *Hordei Excortic.* ℥iv. *Liquirit* ℥j. *Cinamom.* ʒiij *Aquæ Puræ* ℔v. Coque Colaturæ adde *Syr. e Roſi. ſiccis* ℥iij. *Spiritus Nitri q. ſ. ad grat. acidit.*

In principio *Venæſectio* prodeſt; & ſi Ventriculus illuvie quadam oneretur *Emeticum* levius conducit ſin alias, Venæſectione celebrata Purgativum exhibeatur. *Ex. gra.*

℞. *Decoct. Prunor.* ℔. ß. *Cremor. Tartar.* ʒß. *Foll. Senn.* ʒiß. *Sem. Fœnicul. Aniſi aa.* ʒß. f. infuſio per horas xij. Colat. detur uſui.

Purgatione peracta, priuſquam *Cardiaca* exhibeantur, *Diaphoretica* quædam in uſum revocanda ſunt, quæ prima vice de levioribus eſſe debent. Exempl.

℞. *Bezoard. Mineral. Sal C. C. aa.* ℈ß. Cum *Diaſcord.* q. ſ. fiat bol.

Sed in *Febribus Continuis*, *Quotidianis*, *Tertianis*, aut *Quartanis*, *Extracta & infuſiones Abſynthii*, *Gentianæ*, *Centuarii minor*, *& Corticis Peruviani*, quæ fieri poſſent cum Spiritu Salis armoniaci, & in quartanis ſpiritu Gum. Ammoniac. Hæc, inquam, una cum ſupra præſcriptis in tali caſu conveniunt, prout ratio cuiquam dictitabit.

In hiſce febribus curandis attendenda ſunt ſimptomata; a quibus ipſæ febres ſuas denominationes ſortiuntur, ut ardor, ſudor, vigiliæ, vomitus, delirium leipotymia, cephalalgia, ſitis, lingua arida, &c. Nam in deliriis, Vigiliis, &c. Opiata propinanda ſunt; in linguæ & faucium ariditate Gargariſmata in ardore & ſiti decocta refrigerantia hactenus memorata, exhibenda ſunt; & in vomitu, diatrhæa, &c.

pro-

propria horum ſymptomatum cura reſpicienda eſt.

Externe etiam plurima abhiberi, ſolent, quorum infinita varietate referti ſunt plerique authores, ad quos lectorem remitto.

CAPUT XXXVI.

De Febre Hectica, Colliquativa & Catarrhali.

1. OMnes hæ febris ſpecies ab eodem cauſa proveniunt, viz. Acrimonia in ſanguinis maſſa, orta ex acredine levi Lymphæ, vel ſucci Pancreatici, &c. quam ſæpe acquirunt poſt aliam febrem prægreſſam, vel ſi partem aliquam ulceralem in tranſitu alluant, exinde purulentam quandam materiam in ſanguinem deferentes, vel fortaſſin hæc acredo provenit a facultate digeſtiva læſa, obſtructionibus Meſenterii, &c. unde Chylus nimium aceſcit, & corpus a paſtu calore perfunditur.

2. *Ectica* dignoſcitur ex pulſu debili & celeri, calore modico & acri (circa horam aut bihorium a paſtu utrumque hoc Symptona magis urget) ſiti, tuſſi levi. ----- *Catarrhalis* vero dignoſcitur ex tuſſi vehementiori, obſtructionibus pectoris, Torpore Vigili & perpetuo, *Colliquativa*, ex ſudoribus Nocturnis. Hoc autem omnibus hiſce comune eſt quod corpus gradatim conſumatur, adeo ut in merum Sceleton degeneret, ſola cute & oſſium compage ſuperſtite quo caſu morbus denominatur *Tabes* vel *Maraſmus*.

3. Febres hæ ſi in principio attendatur curari poſſent; ſed ſi corpus macie confectum fuerit ante curam inchoatam, ægre (ſi unquam) curantur. Si *Hectica* ab inflammatione, Apoſtemata: &c. procedat, niſi hiſce ſymptomatis propriam curam adhibeas, laterem lavas.

4. *Cura* tota conſiſtit in ſanguine dulcificando, & ab acrimonia hac expediendo; in quem finem, corporis & animi exercitia, ſomnus vigilie, excreta & retenta, naturalem ſtatum ſequantur: omnes potus fortiores ſpirituoſi: cibi aridi, & concoctionis diffici-

ci-

cilis, caute uſurpentur; ſed juſcula, gelatinæ, precipue ex carne gallinæ; vituli; perdicis, &c. confecta; Panatella, Pultes Oryzaceæ, Lateæ, &c. cum ægri commodo uſurpantur.

In Regno *Pharmaceutico Abſorbentia* & *Acrimoniam Corrigentia* primas tenent, ut *Bezoardicum Mineral. Jovial. Lunar. Ocul. Cancror. Margarit. Catechu, Antihecticum Poterii, Minſicti, Diaſaturn., &c,* Proximo in loco numerantur *Gummata* & *Balſama* ut: *Ammoniac. Galban. Terebinth. Balſam. Sulphur.* (quale hactenus memoravimus *Capite* 12. *de Epiemate*) & *Balſamica* naturalia. ------ Sed Medicamina in forma liquida exhibita magis huic morbo conveniunt, nam & ſitis ſæpiſſimæ hunc morbum comitatur; proinde pro potu ordinario, & vehiculis requiſitis, uſurpetur *Aqua Hordei*; decocta, Succi, & aquæ deſtillatæ *Endiviæ, Acetoſellæ, Portulacæ, Borraginis, Prunorum, Pomorum, Paſſularum Radicum Aparientium*, emulſiones e *Seminibus Frigidis, Aqua Antihectica Dolei*; omnia remedia Nitrata, &c.

Quæ ſequuntur, mirum ſucceſſum habent, ſicut in noſtra praxi ſæpius obſervavimus.

℞. *Bezoard. Mineral. Antihectic. Poterii aa.* ℈ij. Miſce. Doſis a gr. viij. ad gr. xv. in pulpa Pomi ſingulis auroris, ſuper bibendo ℥iv. infuſionis ſequentis.

℞. *Aquæ Capon. Aq. Spermat. Ranar. aa.* lib. ß. *Antimon. Crudi Pulveriſ.* ℥j. *Paſſular. Inciſar.* ℥ij. *Infund. in vaſe vitreo duplici in loco aliquo calido, Colaturæ* ℥*iv. Add. Spir. Sal. Armoniac. gut. xx.* pro una Doſi.

Sed præterea, varia illa ſymptomata & affectus, a quibus oriatur febris maximæ ſunt attendenda, v. g. ſi calor intenſus pedes & manus poſſidet, ſitis multum urgeat, hoc in caſu remedia aquea juncta acidis levioribus conveniunt: In ſudoribus nocturnis adde nitrata & ſaturnina.

In obſtructionibus & febribus *Catarrhalibus Spiritus Salino Urinoſi* conferunt. Si tuſſis, vigiliæ, dolor, diarrhœa, &c. abſint, *Bezoardica* & *Anodyna* uſur-

uſurpanda veniunt. ---- Si ab aliis morbis procedat, conſule illorum curam, v. gr. ſi ab *Apoſtemate*, *Ulcere*, *&c.* exhibenda ſunt *Balſamica*; & ſic de cæteris.

CAPUT XXXVII.

De Febribus Intormittentibus.

1. EST vitioſa ſanguinis effervеſcentia, una cum paroxyſmis quandoque pluribus quandoque paucioribus, intervallatim homines corripiens: paroxyſmis pura ſua ſponte recedentibus, & denuo redeuntibus.

2. Si paroxyſmus invadat poſt interſtitium 24. horarum dicitur *Quotidiana*; ſi poſt 48. horas dicitur *Tertiana*; ſi poſt 72. horas vel 3. dies elapſos, quarto nempe die (incluſive numerando) dicitur *Quartana*; omnes hæ februm intermittentium ſpecies magis vel minus vehementes ſunt, & magis vel minus prolongantur, prout materia peccans & ægrotantis temperamentum variatur.

3. Omnes febres intermittentes incipiunt ab Algore & Horore qui per horam præpter propter durat; deinde ſubſequitur incaleſcentia febrillis, cum dolore capitis & Lumborum, Oſcitatione, Siti, Vigiliis, & nonnunquam delirio.

Febris Intermittens *Quotidiana*, ſi eundem non obſervet periodum, & una adſint ſapor amarus in ore reſidens, vomitio materiæ bilioſæ &c. audit apud Medicos nomine *Tertianæ duplicis*. Sed ſi hæc ſymtomata non appareant, ſed paroxyſmus ſtatim a paſtu regulariter & conſtater invadat, dicitur *Quotidiana*. Quartana plerumque poſt meridiem, vel circa veſperam invadit. In omnibus febribus intermittentibus pandiculationes & oſcitationes præcedunt.

4. In *Cauſa* explicanda, nos non alius quam celeberrimi *Silvii* veſtigia ſequimur, & proinde autumamus febres intermittentes ortum ducere ab obſtructione unius, vel plurium e ductibus lateralibus *Pancrea-*

creatis, quæ obſtructio contingit ex pituita viſcidà majori vel mionri copia ibidem collecta. Unde fit quod *Succus Pancreaticus* ex mora aceſcat, in duodenum proruperit, & Bili ibidem obviam iverit, effervefcentiam excitat quæ hororem, Rigorem, &c. inducit. Et hoc etiam extra controverſiæ aleam ponimus, quod varietas illa febrium intermittentium non aliunde quam a varia diſpoſitione & mixtura *Sucii Pancreatici*, *Bilis*, & *Pituitæ* noxie oriatur. Huic ſententiæ magnam conciliat, authoritatem maximus ille *Silvius*; *vid. prax. lib.* 1. *cap.* 27. *&* 30.

5. Febris intermittens ſuapte natura periculoſa non eſt, niſi per accidens infirmos & valetudinarios corripuerit, vel morbum quempiam gravem ſeu malignum ſubſecuta fuerit, vel in alium affectum ſe pejorem, Hydropem, Phtihſin &c. degeneraverit. *Quartana* eſt omnium longiſſima, & curatu difficillima; unde vulgo *Ludibrium Medicorum* dicitur. Nos tamen feliciſſime & maxima cum expeditione curare conſuevimus, imo ipſo tempore hyberno, quo tempore maxime pertinax & difficllis obſervatur; nec in hac noſtra cura unquam *Corticem Peruvianum* in uſum adhibuimus.

7. *Cura*. Coagulum illud obſtruens incidendum, diſſolvendum, & expellendum eſt: aciditas & acrimonia ſuccorum corrigenda; & partes debilitatæ corroborandæ ſunt. Omnia *Amara* & incidunt & corroborant, ut Radices *Gentianæ*, *Ariſtolochiæ*, *Enulæ*: Summitat. *Abſinthii*, *Tanaceti*, *Marrubii*, *Centaurii*, *Chamomilli*, & tantum decantatur ille *Cortex Peruvianus* Omium *Aromatica* acria, ut *Piper*, *Caryophilli &c.* Sed *Salia Volatilia Oleoſa* mirum in modum obſtructiones reſerant & aciditates corrigunt, quo caſu etiam addi poſſent *Abſorbentia*, ut *Oculi Cancrorum*, *Bezoard. Mineral. &c.* Quæ omnia varie præparari poſſunt, *Cathartica* etiam, & *Diaphoretica*, vel ſupra præſcriptis juncta vel per ſe debitis intervallis exhibita, maxime conveniunt; imo abſolute neceſſaria videntur, ſicut & *Emetica*. Quando Ventriculus ſaburra impurra oneratur. Inter autem

tem *Emetica*, præcipuum eſt (niſi virium imbecillitas adſit) *Tartarus Emeticus*, alias *Sal Vitrioli*, & *Cardui*. Ex. gr.

℞. *Zithogalæ* lib. iij. *Summitat. Cardui*, *Camomill. aa.* ℥j. ſ. decoctio.

Hoc primo vomitum deinde ſudorem provocat. Non ipſimet experti ſumus, quod decoctum *Chamomilli* magna quantitate aſſumptum (vel ſuccus ejuſdem minori quantitate) per duas vel tres vices repetitum, morbum profligaverit.

Pro *Catharticis*, quæ ſequuntur, aut his ſimilia conveniunt.

1. ℞. *Decoct. Amar.* ℥iv. *Syr. e Rhampo Cathart.* ʒvj. *Spir. Abſint. gut. xl.* Miſce pro una doſi. Vel ſi magis allubeat hoc *Sylvii*.

2. ℞. *Pillut. Fœtid.* ʒß. *Trochiſc. Albandal. Mercur. Dulc. aa. gr. v. Ol. Succin. gut. ij.* f. Pilulæ pro una doſi.

Si obſtructiones non uſque adeo contumaces ſint, ſæpe unica diaphoreſi profligatur morbus, ut ſæpe in praxi noſtra nobis occurrit. Diaphoretica ſunt decocta *Chamomilli*, *Salviæ*, *Cardui*, *Scodii*, *Petaſitidis*, *&c.* quorum ſingulis doſibus addi poſſent *Spir. C. C. Laudan. Liquid. Tartariſati*, *aa. gut. xx. ad xxx.* & ſi urgeat occaſio, tantudem *Tincturæ Piperis*.

Hoc etiam obſervandum eſt quod *Emetica* & *Catartica* longius ante adventum Paroxyſmi exhibenda ſunt; Sudorifera autem non niſi circiter 2. horas ante Paroxyſmum, ut æger nempe ſudore leviore perfundatur illo ipſo temporis momento quo paroxyſmus redux invadere conſueverat.

Externe applicari poſſent *Emplaſtra*, *ex Naſtiche*, *Olibano*, *Camphora*, *Oleo Macis*, *Terebinthinæ*; quæ ventriculo, umbilico, vel carpis admoveantur.

CAPUT XXXVIII.

De Febribus malignis, & Peſtilentialibus.

1. FEbres hujus farinæ varia ſortiuntur nomina, a variis ſymptomatibus & locis, alias eadem plane methodo curantur: Præcipua enim differentia in *Malignitatis* gradu conſiſtit. Ex omnibus hiſce Febribus ipſa Peſtis maxime eſt maligna, acuta, contagioſa, & lethifera.

2. *Febris maligna* eſt morbus contagioſus & perniciosus, vires poſternens, fermenta omnia & viſcerum functiones penitus ſubvertens, ortus a Deleteriis & Contagioſis particulis Sanguini inſinuatis, & illo mediante in ſingulas Corporis partes devectis.

3. *Signa* ſunt ſubitus virium collapſus, & præterea, quando primo invadit hujuſmodi febris, horror levis, quem ſubſequitur dolor capitis & lumborum, pulſus frequens, debilis & incoſtans, urina coſtitutionis ſanæ æmula; quandoque vigiliæ, quandoque torpor & ſomnolentia cum in ſomniis infeſtis, Delirium, Vertigo, Sitis, defectus appetitus, Singultus, quandoque Stridor dentium, Tormina Ventris, Cardialgiæ, Leipothymiæ, Convulſiones: Hæmorrhagiæ. Diarrhæa, Maculæ & Exanthemata in ſuperficie corporis apparentia, & ſi adſint Carbunculi & Bubones, vera dicitur *Peſtis*.

4. *Cauſa Febrium malignarum* eſt Aer Sale Volatili Arſenicali, vel acri, impregnatus, qui ſanguini & ſero communicatur, vel per corporis poros, vel mediante alimento, ſaliva, &c. Sed præcipue per inſpirationem in pulmones deducitur, unde ſanguinis textura & intima conſiſtentia violatur, adeo ut principio vitali reſiſtat, & Spiritus Animales in confuſionem redigantur. *De corruptione aeris vide Authores, qui hac ſuper re fuſe ſcripſerunt.*

5. *Prognoſtica* ſunt maxime infida & dubia. Obſervandum tamen eſt *Morbos Epidemicos* peculiaria habere ſymptomata, ex quorum accurata obſervatione,

mor-

morbi exitus, an fauſtus, an infauſtus, prædici poteſt. *Prognoſtica*, quæ ſequuntur merito mala reputantur, viz. Delirium ſub initio morbi, & a ſomno non levatum, motus convulſivi, manuum & linguæ tremor, ſingultus, aſpectus faciei & oculorum ferox & horridus, conatus objecta quæpiam obvia corripiendi, & ſtragula quibus coopertus jacet complicandi. Exanthemata & maculæ apparentes & continuo evaneſcentes, &c. ----- Quod ad pulſum, urinam, & alvi excretiones attinet, nulla certa Progoſtica exinde deduci poſſunt.

6. *Cura* præcipue in duobus conſiſtit, vel in corpore ab injuriis contagii defendendo & præſervando, vel in Malignitate ex contagio hactenus ſuſcepto & reliquis Symptomatis vincendis & profligandis.

Primo conducit omnia illa fugere quæ corpus malignitati contagii magis obnoxium redderent, ut nimia comeſſatio, compotatio, & veneris uſus immoderatus, omnes affectus & paſſiones animi, ira, ſollicitudo, timor, &c. Cavendum etiam ne evacuationes ſolitæ, Hæmorrhoidum Menſium, Fontanellarum, &c. a naturali & conſueta methodo deſciſcant. Si adſit, obſtructione referandæ ſunt, ſi Cacochymia, Emetica & Cathartica exhibenda ſunt, quibus addantur (vel, ſi magis arrideat, debitis intervallis per ſe exhibeantur) *Bezordica*, quæ & per *Diaphoreſin* & per *Diureſin* operantur. Si plæthora adſit, ſecetur vena. Omnes autem hæ regulæ ſolummodo obtinent, ubi aliæ circumſtantiæ non prohibent, Verb. grat. Tempus anni inopportunum, aer infectus, &c. *Emetica*, *Cathartica*. & (præcipue) *Veneſæctio* non niſi maxima cum cautela imperanda ſunt, quin potius *Alexipharmacis* & *Sudoriferis* inſiſtendum.

Externe, ad infectionem præcavendam ſuadent Medici ut focus inſtruatur ex *Junipero*, *Lauris*, *Roremarino*, *Lavendula*, &c. ut omnia loca diligenter vitentur, in quibus hic morbus graſſatur, etiam omnia loca fætida, ſqualida, & Cadaveribus repleta: ſin autem impoſſibile ſit loca hujuſmodi infecta, & hominum hoc morbo correptorum conſortium, fugere,

Præſervativa aſſumenda ſunt, & mane ante cibi aſſumptionem, & noctu antequam obreperet ſomnus. Exempl. gr.

♃, *Aq. Prophylact. Sylvii*, *Vini Meracioris aa.* lib. j. *Theriac. Venet. Veteris* ℥iv. *Camph.* ʒj. fiat *Tinctura*. Doſis ℥j.

Præter *Theriacam Andromachi Mitridatium* etiam & alia Alexipharmaca compoſita conveniunt, Radices *Zedoariæ*, *Angelicæ*, *Petaſitidis Contrayervæ*, *Serpentar. Virginian. Allii.* Etiam *Crocus*, Carduus *Carlina* dictus, *Ruta &c.* De omnibus, inquam, hiſce fieri poſſunt *Infuſiones*, *Tincturæ &c.* maxima cum utilitate. Et ſi addantur *Acida*, ut, *Spiritus acidi Minerales*, *Succi Citrorum*, *Limon. Lujulæ*, *&c.* eo magis efficaciora, experientia eſſe, evadunt. Qui itaque Melancholici ſunt antidotum in pectore circumferunt, & etiam illi quorum ſanguis acido temperatur pro optimis præſervatoriis utuntur *Vino* cum *Spiritu C.C. Urinæ. &c.*

Sed ſi morbus hactenus ægrum corripuerit, & jam jacta ſit alea, exhibenda ſunt remedia quæ non ſolum malignitatem & acrimoniam imbibant, & per diaphoreſin expellant, ſed & alia ſymptomata periculoſa ſupprimant & devincant, diarrhæam forte, convulſiones, &c.

Ex *Antidotis* hæc merito primum ſibi vendicant locum: viz. *Bezoardic. Antimon. Unicornu foſſile*, *Oſſa Viperar. Serpent. vel e Corde Cervi*, *Margaritæ*, *Corallia*, *Oculi Cancror. Bol. Verus*, *Terra Sigill. Sal. Volatile & Spiritus C. C. Viperarum Urinæ*, *&c.* quæ ſi *Succinata* mirum in modum venenum expellunt & Spiritus animales corroborant & invigorant. Ex ſupra nominatis, & aliis ejuſdem farinæ, varia fieri poſſunt præparata, pro ſymptomatum diverſitate varianda. Exempl.

1. ♃. *Spec. Cord. Temp.* ℈ß. *Camphor. Salis C. C. aa. gr. iv. Olei Succin. Gut. iij. Diaſcordii q. ſ.* fiat Bolus.

2. ♃. *Bezoard. Mineral. Pulver. Gaſconici*, *aa. gr. vj. Sal. Viperar. Camphor. aa. gr. iij.* fiat Pulvis.

Hujuſmodi remedia exhiberi poſſunt ſub primum mor-

morbi inſultum ad diaphoreſin promovendam, ſed denuo reiteranda ſunt prout poſtulat occaſio, addendo *Laudani gr.* j. ſi nempe dolores adſint atroces; & interea dum ſudat æger ſubinde propinentur Cochlearia bina *Tiucturæ* ſupra præſcriptæ; vel affundatur *Spiritus Nitri Spiritibus C. C. & Viperarum*, uſque donec Ebullitio ceſſet. Poſſes etiam ope *Spirituum horum fixorum*, vel *Salis* ex hac commixtione *præcipitati*, *Aquam Hordei* acuere, vel potius *Aquam* in qua C. C. & *Oſſa Viperarum* decocta fuerint, quæ dulcificetur *Syrupo Papaveris*, vel *Diamoron*: vel inſtilletur *Spiritus Dulcis Nitri*, *Salis*, *Vitrioli*, in aquam *Borraginis*, *Scordii*, *Juniperi*, *&c.* de quibus bibat æger dum ſitibundus aut calore oppreſſus exiſtit. In Vigiliis autem & deliriis (niſi hæc finem conſequantur) addenda ſunt *Opiata* fermentata. In ſiccitate oris & linguæ utantur *Sale Prunellæ* cum *Aqua Roſarum*, *Plantaginis*, *Syrup. Diamoron.*, *Vino albo*, *&c.*

Externe Regio Cordis, & Carpi inungatur *Oleis Succini*, *Rutæ*, *Angelicæ*, *Scorpionum*, *Nucis Moſcatæ*, *&c.* & *Balſamis*; quæ etiam formari poſſunt in modum *Emplaſtri* cum *Pulvere Bulſonum*, *Sabin. Rut. Sulphure & Terebinthina*. Quod ad Bubones & Carbunculos attinet, conſulendi ſunt alii Authores.

CAPUT XXXIX.

De Variolis & Morbilis.

1. AFfectus hi ſunt de Febrium malignarum & contagioſarum genere, ſolo humano generi incidentes, idque nonniſi ſemel per integrum vitæ curiculum (non obſtante quod ſuppoſititii quidam affectus horum æmuli in contrarium adducantur) *Variolæ* primo puſtularum in modum prorumpunt, quæ denique ſanioſæ evadunt, ſed *Morbilli* primo rubicundi & ſicci apparent, & deinde abſque ſuppuratione evaneſcunt,

2. *Signa* ſunt, Arteriarum & Brachii & Temporum

pulſatio frequens & citata, oculi rubicundi apparent, & humorem aqueum Lacriymarum ad inſtar profundunt. Cutis pruritu & punctionibus afficitur, adeſt torpor inſignis, dolor capitis & dorſi, calor febrilis levis, & conſtans, qui poſt duos aut tres dies multum augetur, cum ſiti, Vomitu, Pulſatione cordis, Reſpiratione difficilis, Tremore, Convulſionibus, &c.

Tertio autem vel quarto die variolæ plerumque corumpunt, primo quidem in dorſo, deinde in Abdomine & facie, & tota corporis ſuperficie; *Augmentum* durat uſque ad diem undecimum.

In *Morbilis* ſymptomata ſunt mitiora, copioſa adeſt ſalivæ excretio, & tuſſis plerumque vehementior, quam in *Variolis*.

3. *Cauſa*. Credo horum affectuum ſeminarium nobiſcum connaſci, & in noſtro corpore occultum latitare, uſque dum Cauſæ quædam occaſionales (precipue contagium) ſanguinem violenter exagitaverint, unde fermentum illud ſeminale inſurgens, *Variolarum* eruptione procurat.

4. *Variolæ* cito apparentes, primum rubræ, deinde albæ amplæ, rotundæ, paucæ, diſtinctæ, &c. periculum abeſſe ſignificant. Sin autem calor febrilis ante variolarum exitum miſceſcat, vel ſi egreſſæ ſint irregulariter, vel ubi egreſſæ ſunt, ſtatim recedant, vel ſi confluentes & depreſſæ, & maculis nigris in medio apparentibus ſtipatæ fuerint, ſi illis permiſceantur maculæ purpureæ, ſi adſit alvi fluxus, reſpirandi difficultas, tuſſis ſicca, Urina vel dejectiones ſanguineæ; omnia inquam hæc ſunt ſigna lethalia. Et ſi poſt eruptionem confeſtim evaneſcant, & tumor remittatur, in peſſimo ſunt ſtatu. Adulti in majori diſcrimine verſantur quam juniores, & ſi mulierem gravidam corripiant, plerumque abortus ſubſequitur.

5. *Cura*. Quamprimum ſymptomata febrilia ſeſe prodant; æger aeri frigido non eſt exponendus, frigus enim eruptione inhibet; ſed & etiam a nimio calore cavendum eſt, hic enim ebullitionem nimiam concitaret; gradus itaque caloris, & frigoris moderati eſſe debent, & naturalem ſtatum non traſgredientes;

Ce-

Cereviſia, vinum, caro, fugiantur; Eorum vicem ſuppleant, *Farina Avenacea*, *Panatella*, cum *ſucco Citri* vel *Aurantiorum*, & pro potu Lac cum pomis ibidem infuſis.

℞. *Lactis Pint. j. Aquæ Pint. iij. ſingulis Pintis Adde Syrupi Citr. vel Lujul.* ℥j. vel *Aquæ Hordei*, ſi acuatur *Spiritu Dulc. Salis*, *Nitri*, *Vitrioli*, cui gratioris ſaporis ergo addatur *Syrupus* aliquis. Vel(ſi magis arſideat) Cereviſia tenuis in qua flores *Calendulæ*, *Aquilegiæ*, *Borraginis* & ſimilium decocti fuerint, de qua bibat æger pro lubitu. *Cardiaca* differenda ſunt uſque ad quintum diem, quo tempore lacte commitatur, & *Cardiaca* congrua uſurpentur: &, ſi malignitas ſubeſſe videatur, addantur *Bezoard*.

℞. *Aquæ Scord. Cardui bened. aa.* ℥j. *Laudan. Liquid. Tinctur. Croc. aa. gut. vj. Syrup. Corallor.* ℥ß. Miſc. Hoc vel huic ſimili utatur uſque ad diem ſeptimum, octavum, vel nonum: & ſi occaſio poſtulet, adde *Antimon. Diaphoret. Bezoard. Mineral. Terr. Sigillat. Mirrh. &c.*

Sed ſi nova febris ſuboriatur ex puſtularum ſuppuratione, *Acida* leviora exhibenda ſunt, uſque dum febris declinare incœperit.

In Variolis *Confluentibus* Methodus præſcripta rigidius obſervanda eſt, majus enim ſubeſt diſcrimen, quam in *Diſtinctis*; & præterea *confluentes* plerumque comitatur in adultis Salivatio, in infantibus fluxus alvi. Quod ad Salivationem attinet, illa potius promovenda quam inhibenda eſt, uſque ad diem decimum-tertium; in quem finem utatur æger cereviſia tenui (vel ſimili) de qua copioſe bibat, hæc enim nec calorem, nec ſudorem conciliat; *Hypnotica* etiam ſub veſperam concedi poſſent: hoc pacto promovebitur intumeſcentia faciei & manuum, æque ac ſalivatio, uſque adeo ad ſalutem neceſſaria. Quam ſententiam adſtruebat quidam non infimæ ſortis Medici, & precipue celeberrimus noſter *Sydenhamus*, cujus doctrinam hac in parte in praxi noſtra ſæpiſſime confirmatam vidimus.

℞. *Aquæ Roſar. Lujul. aa.* ℥j. *Laudan. Liquid.*

gut.

gut. xij. Syrup. Diamoron. ℥ß. Miſc. fiat Julapium.

Sunt inter Medicos qui præſcribunt *Diacod.* ℥*j. Laudan. Liquid. gut. xiv. in aqua Primulæ veris.* Exiſtimant etiam *Diarrhœam* infantum inhibendam non eſſe, ex eo quod ſit naturæ conatus ad materiam morbificam expellendam; quorum ſententiæ nos calculum noſtrum adjicimus.

Quæ ſymptomata apparent ante *Variolarum* eruptionem vix attendenda ſunt; Sed ſi, cum jam egreſſæ fuerint, denuo evaneſcant, *Salia Volatilia*, *Urinoſa*, *Spiritus Viperarum* C. C. *&c. Elixir. Propriet. Eſſent. Mirrh. &c.* maxime conveniunt (Quæ etiam juncta *Cephalicis* in *Comate* & *Epilepſia* multum valent.)

Si Saliva viſcida ægros infeſtet adeo ut in ſuffocationis periculo videantur (quod & ſæpe contingit, circa diem undecimum Gargariſmata in uſum revocanda ſunt. Vulgare hoc Medicorum præſcriptum multum confert.

℞. *Cortic. Ulmi* ℨ*vj. Glycyrrhiz.* ℥ß. *Paſſular. Exacinat. nu. xx. Roſar. Rubrar. pug. ij.* Coq. in ſ. q. Aquæ Fontan ad ℔. iß. in Colatura Diſſolv. *Mel. Roſar. Oxymell. Simpl. aa.* ℥*ij*. Miſce fiat Gargariſma. Quoad alia ſymptomata, conſule alios authores qui eadem fuſius tractarunt.

Externe, cum puſtulæ duriuſculæ evaſerint, inungatur facies *Oleo Amigdalar. Dulc.* vel *Cremore lactis* commixto *pullini ſubtiliſſimo Braſii recentis optime ſiccati*; de quibus fiat *Unguentum*, quod non ſolum cutis Pruritum, ſed & ejuſdem deformitatem impediret.

CAPUT XL.

De Chloroſi.

1. AFfectus hic *Chloroſis* dictus, quandoque *Icteri albi*, morbi Virginei, *Febris albæ*, *&c.* nomine audit: eſtque Cachexia, vel mala corporis diſpoſitio.

2. *Signa* ſunt Laſſitudo totius corporis, Spontanea, facies pallida & livida, reſpiratio difficilis, ſpeciatim ſi corpus moveatur palpitatio cordis. Arteriarum pulſus citatior; Intumeſcentia totius corporis, Tibiarum, Pedum, &c. totum etiam corpus molle & flaccidum exiſtit; adeſt etiam dolor Ventriculi, Cephalalgia gravativa, appetitus depravatus, menſium ſuppreſſio, &c.

3. *Cauſa interne*, ſanguis nimium redundat pituita viſcida; & acida, vaſa Capillaria, ſpeciatim quæ uteri regionem occupant, obſtruente.

Externe ſomnus nimius, exercitii & motus defectus, vitæ genus ſedentarium, præcipue autem victus incongruus ventriculi, & aliarum partium fermentum enervans.

4. Affectus hic; non eſt periculoſus, ſi in Virginibus oriatur ex menſium ſupreſſione, non alias felicius quam ex mariti conſortio curabitur.

5. *Therapeia*. Cauſæ externe removendæ ſunt; pituita acida & viſcida corrigenda & expellendæ eſt; obſtructiones reſerandæ, &c.

Primo ita ſi ventriculus impuritatibus ſaturetur, & vires non prohibeant, leve *Emeticum* conducit; ſed in omni caſu *Catharticum* aliquod de tenuiorum genere ſepius exhibendum eſt; ut corpus a materia illa viſcida liberetur. Ex. gr.

℞. *Pilul. Stomach. cum Gumm.* ℥ij. *Sal. Urin,* ℈ß. *ol. Menth. Fenicul. aa. gut. iij.* fiant. Pilulæ. vel,

℞. *Chalib. Præpar. Diaſenn. aa.* ℥ß. *Cariophyll.*

Nuc.

Nuc. Moſchat. aa. ʒij. Miſc. f. pulvis pro una do-ſi. Vel ſi magis allubeat exhibeantur. Infuſiones Purgativæ, vel Apozemata cum *Sem. Agaric. Rhabarb. &c.* ſemper tamen junctis Aperitivis huic affectui congruis; e quibus præcipua ſunt *Radic.*, *Ari Ariſtoloch. Brion. Summitat. Scordii*, *Artemiſiæ*; *Abſinth. Puleg. Centaurii min. Nept. Agrimon. Croc. Sem. Dauc. Fœnicul. Aniſ.* Et Aromaticis, ut *Cariophyll. Nuc. Moſcat. Cinamon. Cort. VVinter. Piper. &c.* Conducunt etiam omnia Volatilia Antiſcorbutica capite 28. deſcrita, & Gummata, ut *Aloe*, *Ammoniac. Galban. Myrrh.* Sed præparata ex *Marte*, ut ejuſdem crocus, ſal, extractus, Tinctura, &c. in hoc morbo debelando nullis fere remediis loco cedunt. His adde *Salia Volatilia Oleoſa*, *Tinctur. Antimon. Spir. Tart. &c.*

℞. *Tintur. Antimon. Tinctur. Martis aa.* ℥ß. Miſce doſis ad gutt. xxx. vel xl. in aqua *Artemiſiæ* &c. Vel,

℞. *Spir. Sal. Armoniac. Tinctur. Croc. Spirit. Sabin. aa.* ℥j. *Eſſent. Nuc. Moſcat.* ℥ß. Miſce, doſis ad gut. xl. ad L. in *Vino Chalybeato*. Vel,

℞. *Croc. Mart. Bezoard. Mineral. aa.* ʒj. *Fæculæ Bryon.* ʒij. *Ol. Cinamon. gut. iv.* f. Pulvis.

Hæc & ſimilia per tres aut quatuor ſeptimanas exhibeantur, purgationibus etiam levioribus quandoque intercalatio,

Niſi hæc ultimo præſcripta ſudorem moverint adhibenda ſunt etiam *Diaphoretica* (nempe poſt correctionem & evacuationem materiæ peccantis) ad recrementa expelenda & leucophlegmatiam abigendam.

GA-

CAPUT XLI.

De Menſium Suppreſione.

1. EST vel totalis ſuppreſſio, vel diminutio naturalis evacuationis ſanguinis menſtrui; quæ jure naturali quoque menſe fieri conſuecit.

2. *Cauſa* oritur, vel a vitio ſanguinis, qui cum nimium viſcidus & ſpiſſior exiſtat fermentatio menſtrua rite non peragitur; vel a vitio vaſorum evacuationi inſervientium, quæ occluſa vel nimium anguſta redduntur ope materiæ cujuſdam glutinoſæ vel forſan lumbricorum, lapillorum, uteri & partium adjacentium intumeſcentiæ nimiæ pinguedinis, &c. Inter Cauſas externas recenſentur aer frigidus, ægri introitus in aquam frigidam, ipſo fluxus tempore, prava ſanguinis diatheſis, unde fermenta ſtomachi, &c. depravantur; etiam mæror; timor, ira, &c.

3. In affectu hoc dignoſcendo, ipſius ægri teſtimonium certiſſimum eſt ſignum. Si oriatur ex vaſorum obſtrutione, adeſt Torpor, appetitus imminutus, intumeſcentia Abdominis, dolor Lumborum & partium vicinarum, ſæpiſſime etiam fluxus ſanguinis ad aliam quamlibet portam, vel aures, vel nares, vel os, &c. qui circa tempus debitæ evacuationis menſtruæ invadit. Si oriatur a Sanguinis vitio, adeſt Chachexia.

4. Eſt Morbus Chronicus; & niſi tempeſtive caveatur, forſan Hydropem, Suffocationem, Phthiſin, &c. producit.

5. *Cura*. Ab initio, primæ viæ ſunt purgandæ, exhibendo *Cathartica*, qualia capite ultimo prægreſſo memoravimus, quibus adde *Exſtract. Colocynth. Elater. Scammon. Reſin. Ialap. &c.*

℞. *Pilul. ex duobus & Stomach. cum Gumm. aa.* ʒj. *Caſtor, Croc. Sal Martis, Artemiſ. aa.* ℈j. *Ol. Stillatit. Sabin. gut. x. cum. Sir. Abſinth.* f. Pilulæ Doſis. ʒß. Exhibenda eodem circiter tempore quo men-

menſtrua profluere conſueverant. *Apertiva* etiam ſuperiore capite recenſita, non incommode huc, referentur, quibus inſuper adde *Radic. Petaſitid. Angelic. Imperator Zeodoar. Folia Rut. Major. Menth. Sabin.* Eorumdem etiam *Salia & Olea Deſtillata*, cum *Tinctur. Caſto-Gum. Guajac. Ammoniac. Myrrh. &c.* multum præſtant; ſpeciatim, ſi *Volatilia Oleoſa* pro tincturis extraendis adhibeantur, exinde enim majori vi pollent in obſtructionibus reſerandis, cum debitis vehiculis propinata *Enemata* Calidiora injecta & diu retenta laudantur; & ſatis novimus *Phlebotomiam* circa tempus evacuationis menſtruæ conſuectum multum conferre; quod ad *Injectiones*, *Peſſaria*, *Balnea*, *Uunguenta*, *&c.* attinet, non opus eſt quod in anguſtis hiſce ſchedulis ſuper hoc themate verba faciamus, quandoquidem plurimi proſtant auctores qui materiam illam prolixe ſatis tractaverint; quos conſulere dignetur Lector.

CAPUT XLII.

De Nimio Menſium Profluxu.

1. MEnſes nimium profluere dicuntur vel quando ſæpius quam fas eſt fluunt; vel quando diutius quam par eſt fluxum protrahunt; vel quando majori quantitate quam ſolitum eſt peccant.

2. *Cauſa*. Sanguis vel nimium attenuatus, vel nimium abundans; vaſa etiam uteri, vel nimium laxata, vel humida, vel ſupra modum reſerata, vel rupta, &c.

Cauſæ Accidentales ſunt nimia calidorum & acrium ingurgitatio, Diæta tenuis ſanguinem attenuans, pharmaca ejuſdem generis ingeſta; vigiliæ nimiæ, exercitium corporis nimium; etiam timor, vulnera, ictus, caſus, &c.

3. Quo major eſt fluxus, & quo diutius perſiſtit, eo majus ineſt periculum & contra. Si fluxus augeatur, viribus ægri interea proſtratis malum eſt omen.

omen. Si nullum aliud morbi genus produxerit, mulieres ſint Juvenes, vix umquam cura fit irritae Sed in mulieribus ſenioribus fluxus inveteratus ſæp incurabilis eſt.

5. *Cura*. Primo ſanguis rectificandus; humores noxii expellendi; ſi Bilioſi; exhibeantur *Tamarindi*, *Rhabarb. Dicath. Paſſulat. &c.* ſine autem magis ſeroſi exſiſtant.

℞ *Elect. Lenitiv.* ℥j. *Pulv. Jalap.* ℈j. *Ol. Vitriol. gut.* iij. Miſce. Vel huic ſimile prout exigit neceſſitas.

Deinde adhibeantur *Incraſſantia Terrea*, & alia *Adſtringentia* ut *Plantago*, *Burſa Paſtoris*, *Roſæ Rubræ*, *Tormentilla*, *Biſtorta*, *&c. Terra Sigillata*; *Bolus Verus Catechu*, *Lapis Hæmatitis*, *Sanguis Draconis*, *Corallia*, *Crocbus Martis Adſtringens*, *&c.* Exempl. Grat.

℞. *Semin. Plantag. Papav. Hyoſciam. aa.* ʒij. *Succin. flav. Sang. Dracon. aa.* ℥j. Cum *Syrup. e Roſ. ſicc.* f. Electuar. vel vice Papav. & Hyoſciam. adhibeatur Laudan. Opiat. quod maxima efficacia præditum eſt in morbo hoc profligando. *Vid. Cap. de Hæmopotoe*, *& de Dyſenteria*.

Externe Ligaturæ, & Cucurbitulæ, nil nocent, ſed ad revulſionem optimum medium eſt venæſectio, ſi nempe vires conſtent, & ætas ſit Juvenilis. Non incommode etiam Hypogaſtrio, regioni Pubis, &c. applicantur *Adſtringentia*, ut *Acetum*, *Decocta Aluminis*, *Tormentillæ*, & ſimilia.

Fluor Albus eadem plane methodo curatur, ſemper tamen addendo *Terebinthinam*, *Camphoram*, & *Saccharum Saturni*.

CAPUT XLIII.

De Paſſione Hiſterica.

1. EST *Affectus convulſivus* ortus a vitioſa quadam auſtera vel acida materia fibras nervoſas *Uteri* vel *Plexus Meſenterici* irritante; unde Spiritus Animales in furorem & tumultum concitantur, & ex impetuoſa ſua expanſione varia ſymptomata producunt, ut Abdominis Murmurillum & Diſtentionem, Hypochondriorum Dolorem acrem & pulſativum, Nauſeam, Gutturis Suffocationem; quandoque Faciei Ruborem & Intumeſcentiam, quandoque Pallorem, quandoque etiam omnis ſenſus & motus penitus aboletur, unde ſubſequitur vertigo capitis, ventriculi, & aliarum partium, dolor, & totius corporis laſſitudo.

2. Morbus hic raro lethalis eſt ſæpiſſime autem contumax & chronicus. Si vehementer urgeant ſymptomata & ægra ſeneſcat, vel gravida, vel puerpera fuerit, imminet periculum, quandoque autem virgines perbellæ; ex hominis benevoli conſortio, jucundiſſimam & feliciſſimam curam nanciſci ſatagunt.

4. *Cura* (durante paroxyſmo) conſiſtit in ſpiritibus debaccantibus reducendis & compeſcendis; & (extra paroxyſmum) in materia acri peccante corrigenda & amovenda. *In Paroxyſmo: Spiritus Fuliginis, Urin. C. C. Ungul. Equi*, & ejuſmodi *Spiritus Volatilis Fœtidi*, vel naribus admoti, vel inditi, vel temporibus inuncti, vel etiam interne cum vehiculis congruis propinati, & commixti *Tinctur. Caſtor. Croc. Ol. Deſtillat. Rut. Succin.* & ſimilibus, nec non tantillo *Laudadi* (non adorati) prout poſtulat occaſio. Exempl. grat.

℞. *Aq. Meliſſ. Aq. Bryon. Compoſ. aa.* ℥iij. *Spirit Salis Armoniac. Laudan. Liquid. Tinctur. Caſtor. aa. gut. xxx. Ol. Succin. gut. vj. Syrup. Artemiſ.* ℥j. Miſce. Doſis bina Cochelearia, ſæpius.

Præ-

Præter hæc aut his ſimilia : in paroxyſmo exhibenda, conveniunt etiam ſternutatoria, Vellicationes, Fomentationes, Ligaturæ, & Enemata acriora ſubinde injecta, multum proſunt: ſicut & Phlebotomia (ſi adſit *Plæthora*.) ------ Pudendo admoveantur *Moſchus*, *Zibethum*, *Balſama Apoplectica*, & ſimilia: Umbilico autem Emplaſtra & Unguenta confecta ex *Galbano*, *Ammoniaco*, *Tacamahac. Balſam. Peruv. Ol. Rutæ*, *Succini*, *Myrrh. Lavendul.* additis *Caſtor. Aſſ. Fœtid. Ol.* vel *Magiſter. Jovis*.

Extra Paroxyſmum, quæ hactenus memorata ſunt excepto *Laudano Opiato*, primum tenent locum. Conveniunt etiam *Alterativa* additis Alkalibus fixis, ut *Ocul. Cancror. Corall. Bezoard. Mineral. Bezoard. Jovial. Cinnabar. Nativ.* ut & omnia *Antiſpaſmodica* & *Uterina*: nec non *Cathartica*, modo rite intercalata fuerint. Exempl. grat.

℞. *Pulv. Comitiſſ. waruv. Spec. Dianth. aa.* ʒß. *Ol. Succin. gut. iij. Sal. CC. gr. v.* Miſce.

℞. *Pilul. Fætid.* ℈j. *Sal. Cran. Human. gr. vj.* Miſce, f. Pilulæ pro unica Doſi.

Hæc & his ſimilia ſæpius repeti debent, vel, ſi placeat potiones fieri poſſent ex *Purgativis & Hyſtericis* una comixtis. *Carminativa & Aromatica* omnibus quibuſcumque remediis in hoc affectu adhiberi ſolitis jure merito adjunguntur.

Diaphoretica etiam bono cum ſucceſſu exhibentur: omnes evacuationes naturales ſtatum naturalem obſervent: & Paſſiones animi modum excedentes ſedulo coerceantur. Ira enim, Mœror, Terror, &c. Paroxyſmum ſæpius inducunt.

CAPUT XLIV.

De Partu difficili, & Reliquis Puerperarum Symptomatis.

1. Difficilis partus eſt doloroſa & difficilis fætus expulſio, adeo ut & Matris & Infantis vita in periculo verſetur.

2. Dolor ſatis intenſus numquam non partum co-

mitatur; ſed ſi labores diutius quam 24. horas perſiſtant, & tormina rarius adveniant, vel ſi in Lumbos ſurſum; non autem in uterum deorſum; terminaverint, jure meritoque *Partus difficilis* nuncupatur.

3. *Cauſa* varia eſt pro vario matris ſtatu, prout vel cum morbo aliquo luctatur, vel debilis & tenella exiſtit, vel meticuloſa & laboribus puerperii reſiſtens & obnitens. Prout meatus vel anguſtantur, vel affectu aliquo laborant: vel ſi fœtus major fuerit ſolito, vel ſi incommode locatus fuerit, vel ſi funi umbilicali intricatus, vel ſi ægrotus, debilis, aut mortuus exſtiterit, vel ſi adſit fœtuum pluralitas, &c.

4. Si meatus nimium anguſti fuerint, periculum ineſt, ſed reſpiratio difficilis, ſudores frigidi, leipothymiæ, delirium, convulſiones, lethargia, & ſimilis farinæ ſymptomata omnia infauſta, & lethalia prædicunt. Sternutatio bonum eſt omem: & ſi mater erecto ſit animo & vires ſuppetant maxima affulget ſpes.

Cura. Omnia impedimenta (Quantum fieri poteſt) ſedulo amovenda veniunt. Umbilicus, lumbi & meatus interiores inungantur *Unguento Althææ*, *Oleo Lilior. Roſar.* Si alvus non reſpondeat injiciantur *Enemata* adjunctis *uterinis*; Si fœtus in Os Pubis recumbat, vel ſi modo præpoſtero egredi conetur, retrudendus eſt in uterum, & in formam legitimam reducendus. Si viæ interiores nimium anguſtæ fuerint opus eſt manu Chirurgi. Interea autem, & mater & fœtus corroborentur ex uſu *Cardiacorum* quibus *Emenagoga* haud male adduntur. Exempl. gr.

℞. *Sal. Volat. Oleoſ.* ℨß. *Ol. Cinnamom. Aurant. aa. gut. x.* Miſce. Doſis gutt. xx. in vino Canarienſi vel ſimili vehiculo. Vel.

2. ℞. *Secundin. Human. Succin. Præpar. Borac. Venet. aa. gr. vj. Ol. Cinamom. gut. iij.* Miſce, f. Pulvis, aſſumendus in *Aq. Bryon. Comp. & Aq. Meliſſ.* una commixtis.

Inter *Analeptica Crocus Cinamom.* & eorum *Tincturæ*, *Extracta* vel *Olea*, *Confect. Alkerm. Conf. de Hyacinth.* & ſimilia conferunt; hæc enim non ſolum matris

tris vires refocillant & corroborant, ſed & ejuſdem Niſus promovent. Præter hactenus præſcripta, addi poſſent hæc & *Hæmagoga*, viz. *Fel Corvi*, *Hæpar. Anguil. Teſticul. Equin. Caſtor*, omnia *Salia Volatilia* & *Spiritus Secundin. Human. San. Viperar. C. C. Fuligin. Urin. &c. Rad. Ariſtoloch. Bryon. Lilior. Albor. Irid. Folia Matricar. Artemiſ. Sabin. Rut. Gum. Galban. Myrrh. Amoniac.*

Pro vehiculis adhibeantur *Aq. Cinnamom. Aq. Bryon. Comp. Aq. Puleg. Artemiſ. Angelic. Meliſſ.*

Vinum *Canarienſe*, *Album*, & *Rhenanum*, & ſimilia ſi fætus ſit mortuus, & vires permittant addi poſſent purgantia. Ut, *Colocynth. Hellebor. Nigr.* In caſſum foret exempla proponere, quandoquidem ſatis ſuperque trita ſint. Eadem etiam media conducunt ad ſecundinam retentam expellendam: Sternutatio hoc in caſu bene audit. In lochiorum ſuppreſſione *Carminativa*; *Aromatica & Salia Volatilia Oleoſa* ut & omnia *Emenagoga*, junctis *Cardiacis*, primas obtinent, & ſi febris augeatur *Abſorbentia & Balſamica Alexipharmaca*, exhibenda ſunt. Sed in fluxu lochiorum immodico, eadem plane methodo inſiſtendum eſt, quam in nimio menſium profluxu hactenus propoſuimus, Vel.

℞. *Rad. Tormentill. Pulver.* ℨij. *Laudan. Opit. gr. iv.* ſirup. a ſucco plantag. q. ſ. f. Electuarium.

Externe, Lumbis applicetur tritum & vulgare illud Cataplaſma ex Fuligine & Aceto Vini confectum.

In Torminibus a partu, cura cauſam reſpicit; & ſi partes ulceratæ in cauſa fuerint, *Vulneraria* requiruntur. Si lochia acria, & ſeroſa, *Adſtringentia & Opiata*. Si lochia ſuppreſſa, externis applicationibus promovenda veniunt. Exempl. gr.

℞. *Spir. Camomill. Baccar. Laur. aa.* ℥j. *Ol. Sem. Aniſ.* ℨij. Miſce. Hac mixtura fomentetur tota abdominis regio.

Etiam in *Febre Lactea*, quæ circiter tres aut quatuor dies a partu invadere ſolet, quando nempe vaſa lactea obſtruuntur & Mamillæ intumuerunt, conducit etiam fomentare Mammas hac eadem mixtura; cui ſi addas

Salia Volatilia Urinoſa, eo efficacior evadet.

Ut Febris ipſa abigatur, cauſæ *Procatarticæ* removeantur, & *Diaphoretica* exhibeantur.

Nota bene; in omnibus hiſce caſibus ſupra nominatis Purgatio nunquam admittenda eſt, puta primis ſex vel octo diebus a partu.

APPENDIX

De Lue Venerea.

Quandoquidem omnium pene Morborum Humano Corpori varie officientium Hiſtoriam & Curam emenſi ſimus: reliquum eſt ut de Lue Venerea (Famigerato illo affectu,) paucula ſubiungamus, quo facto, libellum hunc ad extremam metam perducemus.

Non eſt quod Lectori tedium moveamus in morbi hujus primo ortu, origine, nominibus variis, Speciebus Multifariis, ab ovo recenſendis. Nobis enim nec lubet, nec vacat diffuſa illa veterum ſcripta, ad Genealogiam ejuſdem expiſcandam, evolvere, quorum *molliter oſſa jacent*. Cui animus eſt hæc addiſcere, ſatis proſtat Authorum: Nos brevitati ſtudemus, & limites propoſitos neutiquam tranſgredi decrevimus, Quod ad inſtitutum noſtrum facit, nos *Ghonorrœam* & confirmatam *Luem Veneream* breviter delineabimus.

1. Lues Venerea eſt fermentum Venenatum & diſpoſitio prava orta a contactu Venereo, Vapores malignos & miaſmata virulenta producente; quæ ſemel introrecepta Subſtantias liquidas alias bonas & laudabiles, quibus commiſcentur, corrumpunt, vitiant, & inquinant: unde functionibus naturalibus impedimento ſunt, & continui ſolutionem confeſtim producunt; partes vellicant & dolore afficiunt, adeo ut Ulcera

&

& omnia quæcumque ſymptomata huic morbo peculiaria exinde oriantur.

2. *Signa. Gonorrhœa* dignoſcitur ex dolore acri urente, inter mejendum, pene ardente & Tumore affecto cum dolore intenſo; venit enim quod ſpatio paucorum dierum (forſitan horarum) Vapores virulenti, viciati, & inquinati fermentum quoddam depravatum in Pene exiſtens, & Salia fermenti maxime aculeata & penetrantia, virulentiæ ſuæ acris effurentis ulcus quoddam minutum, imo & ulcera in Urethra producunt, ſpongioſam ejus partem penetrantia; unde dolor vellicans & pruritus quidam per integram Urethram & Perinæum ſentitur; unde etiam ſubſequitur involuntaria Penis erectio, ſemen etiam a veſiculis ſeminalibus ſua acrimonia eliciunt. Hæc autem Salia, ignita, acria & vellicantia, & Miaſmata illa Virulenta, ſemini commixta; Ulcera ſeu Puſtulas illas producunt; vehementer etiam ſtimulant, & ex innata ſibi contrarietate functionibus animalibus virulentam Gonorrhæam producunt; unde ſequitur totius corporis hebetudo; dolor in Tibiis & Brachiis, Liquor e Pene extillat primo viſcidior, poſtea flavus, purulentus, & vireſcens quæ materia purulenta, mucoſa & ulceroſa, paucis ſolummodo diebus negleta, partes *Virgæ* membranoſas & alias adiacentes pervadit, & Ulcera varii Generis virulenta gignit, quæ proſtratas & Veſiculas ſeminales in conſenſum trahunt; & niſi mature & cum judicio tractentur, ſpatio paucarum hebdomadum integrum corpus inficient. Et hoc Pacto morbus in *Luem confirmatam* degenerat; in qua adſunt Dolor Lumborum & Dorſi, Femorum ſtupor & frigus, dolores vagi integrum corpus pererrantes, cutis maculis cæruleis, rubris, flavis: defædata, malignitas partes principales, Hepar, Lienem, &c. invadens, facultatem nutritivam depravat, ſanguinem generat pravum, & particulis aduſtis redundantem, unde ignitus (quaſi) ſalitus; & vallicans evadit Temperamentum & externa Cutis ſuperficies inſalubrem & obfuſcum dolorem præ ſe fert,

Porrigines & Ulcera ſcabioſa comparent in Capitel, Facie, Faucibus, Palato, & Naſo, os Cribroſum & Criſtam Galli carie abſumens; Dolores Capitis inveterati, Dolores nocturni vehementes, præcipue (dum calido in lecto decumbunt) in Cruribus, Carpis, & Humeris; Articulorum etiam dolores, Tubera perdura in Cranio, Brachiis & oſſibus Tibiarum, Tumores duri ſchirroſi; Colloſitates, & ipſa oſſa præ carie in excreſcentias attolluntur.

3. *Cauſa*. Inter Authores multum diſceptatur, in cauſa ſordidi hujus affectus aſſignanda; dum enim in varias eunt ſententias, quidam in unius, quidam in alterius verba jurant. Noſtram opinionem ſine fuco proponemus. Credimus ſane multos eſſe effectus naturales & mala Materialia, quorum cauſa manifeſta nemini innoteſcit, quo etiam ſenſu dicimus, cauſam hujus ipſius morbi adeo in occulto latere, ut poſitive eandem deſignare penes nos non ſit. Conjecturam tamen facimus cauſam hujus morbi eſſe inquinamentum quoddam depravatum, ortum a putrefactione variorum & forſan diſcrepantium ſeminum injectorum in matricem impuram & defædatam copulatione nimium crebra & inopportuna, unde fermentum quoddam venenatum ſemini introrecepto inſinuatur. Confirmatur hæc hypotheſis ex eo quod Philoſophi & Medici acuratiſſimi agnoſcant nullam fieri mutationem notabilem in Corporibus naturalibus quæ fermentationi ſuam originem non debeat, imo & ad oculum demonſtrare poſſumus ex fermentatione ſeminum humanorum, miaſmata illa virulenta, particulas illas ſubtiles tanta vi inficiendi præditas, & ſalia illa maligna & colliquativa, ſolam eſſe cauſam luis venereæ, ut & omnium ſymptomatum quæ eandem comitantur.

4. *Prognoſtica*. Judicium non ferendum eſt de ſtatu vel periculo in quo æger verſatur, niſi ex diligenti obſervatione naturæ morbi, an nempe, recens, & particularem ullam partem ſolumodo poſ-

poſſideat; an vero magis inveterata, & conſequenter magis univerſalis, fuerit. Dum ſalia hæc venerea & venenata externam ſolummodo ſuperficiem occupent, nec interiorem progreſſum fecerint, quam mera adhæſione vel pudendis maris aut fæminæ; vel mammis nutricum, vel Palato & ori infantum (hæc enim loca veneni hujus communicationi maxime obnoxia ſunt) facile curantur ope medicaminum balſamicorum quibus ineſt vis obtundendi aciem ſalium quæ in Ulceribus hoſpitantur, unde minus penetrantia redduntur, & eorundem motui progreſſivo obex ponitur. Hæc enim ſalia corroſiva (niſi corrigantur) rumpunt & dilacerant pelliculas & fibras teniores Glandis, Præputii, & Urethræ, unde excoriationes & ulcera; quæ (ſi graſſari illis fas ſit) varias ſibi aſſumunt formas, quandoque urethram, quandoque proſtratas occupant & corrodunt; unde carnoſitas & Fiſtulæ incurabiles has partes invadunt, & hoc pacto ſalia illa corroſiva ab exterioribus ad intimiores corporis partes viam ſibi parant (quandoque etiam ex medicorum praxi iniqua illuc accerſuntur) anguſta enim arteriarum & venarum ut & glandularum (quibus hæ partes obſeſſæ ſunt) orificia penetrant, & fibras etiam membranoſas & nervoſas pervadentes, particulis ſuis diſproportionatis ſuccos depravant & ſpiritus in confuſionem adigunt, qui ex deleteria quam acquiſiverunt qualitate, ebullitionem in ſanguine cient, unde a balſamica ſua natura deſciſcit, & particulis aduſtis & efferis refertur, quæ ſanguinis eutoniam, & propriam cujuſcumque ſucci nutritii craſin, penitus evertunt. Latex etiam, ſeu liquor ſeroſus, multum depravatur (ejus enim diatheſis, bona vel mala, a ſanguinis textura dependet) qui cum in fermentationem vehementem, ope venenatarum harum particularum in ſanguine graſſantium, evectus fuerit; impuritates & ſordes venereæ ex naturæ benevolentia & facultatis expultricis niſu, in glandulas inguinis præcipitantur,

 ubi

ubi umores ſeu bubones comparent : qui omnibus mediis ad ſuppurationem promovendi ſunt (maximo enim labore ad ſuppurationem provocantur , præ duritie ſua & mole magna) quod ſi rite peragitur & materia illa venenata radicitus expulſa fuerint, criſi vicem fortaſſin ſupplebit (notandum attamen periculum eſſe in diuturniore ichoris fluxu , ne ulcus fiſtuloſum evadat.) Si tamen bubo repercuſſus redeat nec ſuppurationem admittat , certiſſima eſt luis confirmatæ prodromus . Particulæ hædeleteriæ & venenatæ quæ ex penetrantia ſua ſanguini & lymphæ ſemetipſas commiſcuerint , non ſemper hunc in modum præcipitantur, ſed ſæpiſſime ſerum in vaſis lymphaticis & aliis corporis peripheriam & ſuperficiem externam petens : una comitantur ; ubi membranam carnoſam & cutem pervadunt , mediante rorido illo madore qui jugiter illic appellit , unde ulcera in ſuperficie corporis creantur ſordidum & saniopum ichorem jugiter evomentia ; & mador ſeu ſuſor qui per cutis poros evacuatur , intenſiſſimo petore imprægnatur , acerrime ſapit , calore quanſoque flavo , quandoque viridi præditus , & nonnunquam ipſa lintea corpori inſtrata corrodit . Si particulæ hæ ſali alicui fixo intricatæ fuerint magis torbidam induunt naturam, nec in corpori ſuperficie uſque adeo impigre opus ſuum hoſtile perficiunt , ſed cutaneas eruptiones producunt , quales ſunt Penulæ, Caruncul æ perdutæ , Ulceroſæ , & Cruſtaceæ , in apice nigris muculis interſperſæ , hujuſmodi ſigna Luem confirmatam & quam maxime exalatam indicant . Bubo ad interiora retro pedem ferens terminatur in dolores nocturnos ſæviſſimos , & capitis dolores laniantes & atrociſſimos; exinde etiam caries oſſium , Tubera, Ulcera Palati , Putrefactio Naſi & aliarum partium ſolidarum ; quorum omnium cura difficultatis plena eſt ------ ſi ſeroſitates hæ Venenatæ & Deleteriæ, ex Principii Vitalis Vigore & Activitate , a Sanguine ſeparentur ; & , ex acuta ; pungenti , & pene-

penetrantiſſima ſua qualitate, tunicas vaſorum permeent, & Nervos & membranas vellicent, dolores vagabundos vehementiſſimos, contractiones, contortiones, &c. producunt, & niſi mediante Ptyaliſmo eliminari & exantiari nequeunt ----- Si malignitas hæc, vel per adhæſionem, vel per alium quemlibet caſum, in partes muſculares vel Perioſtæum aliquod incidat, & ibidem pedem figat, miris cruciatibus miſer ægrotus dilancinatur, ſubtiles enim deleteriæ hæ particulæ indeſinenti ſua tenſione & vallicatione Cartilagines exſiccant & abſumunt; oſſium etiam ſubſtantiam pervadunt, & cariem & putredinem, non niſi mediante expoliatione curabilem, inducunt, ----- Symptomata hæc (ſi diutius permaneant) Convulſiones ut & totius Machinæ interitum parant. ------- Deflenda ſunt hæc Prognoſtica Morbi in pejus ruentis, quæ etiam ulterius variari poſſunt pro temperamento, ſexu, ætate, viribus, negotio, & ſtatu ægri.

5. *Cura*. Maxima cautela & judicium adhibenda ſunt in affectu hoc curando. Maxima etiam peritia & animi præſentia requiritur, in variis hujus morbi ſpeciebus, & Symptomatis comparentibus, rite dignoſcendis & diſtinguendis. Nullæ enim Regulæ generales & abſolutæ inſtitui poſſent, quæ omnibus quibuſcumque & ægroti & morbi poſtulatis reſponderent, ſed quoad particularem applicationem pro maturo & ſubacto Medici judicio variandæ forent.

Cura Gonorrheæ initium ſumat a *Diureticis* congruis, *Ptiſanis Apertivis*; & ut inflammationibus occurratur & ſuccurratur, *Emulſiones frigidæ*, *Emolientia*, *Anodyna*, & *Diſcutientia Cataplaſmata* applicentur, ſi adſint tumores *Detergentia* & *Balſamica* ſuas etiam vices obtinent. Pro potu ordinario *Ptiſana* ſequens *Apertiva* convenit.

℞. *Rad. Gramin. Petroſelin. aa.* ℥iij. *Radic. Lilior. Albor. Althææ aa.* lib. ij. *Liquirit. inciſæ.* ʒvj. *Semin. Aniſ. Fœnicul. aa.* ℥j. *Hordei Man. iv. Aq. Fontan.* lib. *xxx. f. Pthiſana* ſingulis lib. ij. vel menſu-

ſuris quas nos (*quart*) nominamus, adde, *Syrup. Rad. 5. Aper.* ℥j. *Ol. Sulph. per Campan. gut. xx.* vel hujus vicem ſuppleat *Sal. Pruneli.* ℥ij. vel *Cryſtall. Mineral. a* ℥j. *ad* ℥ij.

Omnia *Diuretica Detergentia* præcipue adhibenda ſunt. Sed de Ptiſana hac ultimo præſcripta bibit æger pro poto ordinario, idque copioſe per tres aut quatuor dies, ad impuritates venereas abluenda, & ſalia venenata in ductibus urinariis ſtabulantia diluenda. ---- Si æger temperamenti ſit calidi, *Emulſiones e Semin. frigidis*, cum *Sero lactis* paratæ, intercalandæ forent. Vel.

℞. *Aq. Hordei* lib. ij. *Aq. Cichor. Primul. Veris aa.* lib. ß. *Seri Lactis* lib. j. *Syr. Citr.* ℥iv. f. Apozema vel vice *Syrup.* Citr. adhibeatur *ſuccus Limon. n.* 2. cum *Diaſcordii* ij.

Conducit leviter ægrum purgare; nihilominus *purgativum* tale ſit ut naturam ad virulentam & impuram illam materiam per alvum exterminandam provocet, periculum enim eſt in mora ne intimius penetret.

℞. *Decoct. Prunor.* ℥viij. *Cremor. Tartar.* ℥j. *Fol Senn.* ℥ij. *Sem. Aniſ. Fœnicul. aa.* ℥ß. Infunde per noctem unam; colaturæ adde *Elix. Proprietat. gut. xx.* Detur pro una Doſi. Vel.

℞. *Decoct. Senn. Gereon.* ℥iv. *Caſſ. recenter Extract.* ℥j. *Cremor. Tartar.* ℥j. *Ol. Saſſaphr.* (commixto *Sacchāro refinato*) *gut. vj.* pro una Doſi. Vel.

℞. *Bezoard. Mineral. gr. xv. Confect. Hamech.* ℥iv. *Sal. Vol. Viper. Succin. aa. gut. iv.* pro una doſi.

Cathartica autem adhibenda ſunt pro ægroti neceſſitate & Medici prudentis judicio.

Enemata Refrigerantia & *Anodyna* frequenter injiciantur ſi modo metuatur febris vel inflammatio. *Si Ptiſana Apertiva* præ quantitate offendat ſtomacho, vel ibidem ſtagnet ſumat ſubinde *gr. x. xv. vel xx. Sal. Volat. Viperar. vel Lumbricor. Terreſtr.* C. C. *Succin. vel Salis Armoniac.* in hauſtu vini Rhenani vel albi.

La.

Lavamenta & *Injectiones* in crebro ſunt uſu (poſtquam omnia munda & repurgata fuerint) quæ ingrediantur *Refrigentia*, *Anodina* , ut & *Detergentia* & *Balſamica* . Injectiones fiant ex *Styptico Balſamicis* , quæ ſalium penetrantium aciem obtundere valent , ut & ulcera mundificare & exſiccare , ex *Balſamica* etiam qualitate pellicularum & partium fibroſarum excoriationes obducere & ſanare pollent. Caveas tamen ne violentis *Adſtringentibus* aut *Corroſivis* utaris , diros enim producunt effectus.

Sub initium morbi , injectio conficiatur ex *Lacte tepido*, quod Syringa tenuiore injiciatur , ſed leni & conſtanti manu ducatur. Deinde fiant ex *Styptico Balſamicis*. Exempl. grat.

℞. *A. Calcis Vivæ tenuioris* ℥viij. *Aq. Plantag.* ℥iv. *Flor. Zinci* ʒij. Mixtura hac laventur Ulcera , quæ in Pudendis vel aliis partibus ſtabulantur ; & ope Syringæ injiciatur. Vel,

℞. *Aq. Calc. Viv.* lib. j. *Sacchar. Saturn.* ʒj. *Vitriol. Alb.* ℈j. Hoc efficaciter Ulcera deterget , & contagii progreſſui obſtabit . Sed ſi ulcera hæc Venerea diutius perſtiterint & altiores egerint radices , & in flaviora & magis purulenta Luis Ulcera degeneraverint , vel perdura & calloſa fuerint , nullum ſperandum eſt levamen niſi ex uſu *Eſcharoticorum* & *Suppurantium*.

Si affectus magis invaluerit , & Cardinalia Luis confirmatæ ſigna ſe ſe prodant , alia ineunda eſt methodus hac tamen cautela ſemper adhibita , quod ſi ægrotus macie extenuatus fuerit , & ad extremum uſque inaniatur, cum debilitate & ſpirituum defectu, Diæta Nutritia præſcribenda eſt ad corpus Spiritibus replendum, & materiam ſuppeditandam pro ſalivatione melius ſuſtinenda. Tempeſtas anni etiam conſideranda venit, ſi nec in frigore nec calore excedat ; quæ omnes circumſtantiæ maximi ſunt momenti, & quæ (ſi negligantur) in maximam ægroti perniciem cedere queant ; & ægroti vitam in magno diſcrimine ponunt dum *Mercurialia* adhibita, corpus exagitant . Hoc opus incumbit Medicis vitia corrigere & defectus ſupplere,

plere, quibuſcum colluctantur ægri ſi modo temperamento mediocri deſtituantur. Si tamen Salivatio promovenda ſit, & interea æger corpus craſſis & impuris fæditatibus repletum fuerit, & Plæthorico ſit temperamento, non inconſultum foret venam ſecare, & levius purgare, quod bis vel ter repetatur; vel quoties pro Medici arbitrio expedire viſum fuerit. Curſus etiam Diæreticus imperandus eſt ex Alimento & potu exſiccantibus. *Sudorifera* etiam in temperamentis humido melancholicis conducerent ad humores coagulatos diſſolvendos, & ad corporis poros & partes in tranſpirationem diſponendas. Ex. gr.

℞. *Trochiſc. Viperar.* ℥ß. *Antimon. Diaphor.* ℈j. *Bezoard. Mineral. Sal.* C. C. *aa. gr. vj.* cum ſ. q. *Theriacæ Androm.* f. bolus pro una doſi. Vel.

℞. *Bezoard. Mineral. gr. vj. Pulv. Rad. Serpent. Virginian.* ℈j. *Cinnab. Antimon.* ℈j. *Sal. Viperar. gr. iij. Diaſcord. q. ſ.* fiat bolus. Hæc aut his ſimilia exhibenda ſunt a purgatione, ac corpora humida, pituitoſa & melancholica pro ſalivationis opere facilius peragenda, præparanda.

Cum decretum fuerit ſalivationem aggredi, medico incumbit rite diſtinguere quo pacto cum maximo ægri commodo promovenda fuerit. Si poſſibile ſit, præſtat Salivationem excitare ex Mercurialibus ore aſſumptis, hoc enim pacto certiores noſmetipſos facimus de quantitate aſſumpta, an ſuffecerit, necne; minus adeſt periculi & moleſtiæ in hac ptyaliſmum excitandi methodo, quam in alia quæ per unctionem fit. Maxima tamen cum vigilantia attendenda eſt aſſumpti operatio, & cum ſemel incœperit ſalivatio facile eſt eandem evehere ad quem gradum libitum fuerit, ſemper ratione habita ſtatus & virium ægroti; & niſi contraindicantia prohibeant, non prius ceſſet ſalivatio, quam omnia diſparuerint Symptomata. Novimus ſatis multos eſſe Medicos, eoſque non infimæ ſortis, qui aſſerant ptyaliſmum ex *Mercurio* intus aſſumpto excitatum non tam efficaciter morbum diſpellere, quam ſi ex unctione externa promoveretur: Cujus aſſerti Veritatem in controverſiam nunc non reducam; hoc

tam

pro comperto habeo Luem confirmatam ſæpe ſæpius maximo cum ſucceſſu curatam fuiſſe ex uſu Mercurii interno, ſine ullo Unctionis interventu. Proinde, in ordinatione ad Salivationem promovendam.

℞. *Mercur. dulc. ſublimat. gr. xxx. Cinnabar. Antimon.* ℈j. *Opobalſam.* ℈j. fiat. Bolus.

Subſequenti nocte ſumat *Mercu. Dulc. gr. xxx.* in *Conſerv. Roſ. Rubr.* —— Æger frigori non exponendus, ſed in calido cubiculo retinendus eſt. —— Sequenti denique nocte exhibeantur hæ *Pillulæ*,

℞. *Mercur. Dulc. gr. xx. Turpeth. Mineral. gr. vj.* Cum pulpa panis ſimilaginei fiant Pillulæ,

Hæc tamen Mercurii quantitas non omnibus permittenda eſt, immo paucis ſane, plurimi enim tantam quantitatem ſuſtinere nequeunt.

Si magis arrideat inungendo Ptyaliſmum evehere, huic inſiſtendum eſt methodo; nempe.

Mercurium a ſublimata corroſiva qualitate vindicamus ope Alkalium *Calc. & Tart.*, unde ab omnibus quibuſcumque Mineralibus & Salinis Recrementis perfecte deputatur. Deinde lavamus ſpiritu vini uſque donec nullæ præcipitentur fæces. Proinde.

℞. *Mercur, hunc in modum depurati* ℥. *iv. Axung. Porcin.* ℥. *viij. Antimon. ſubtiliſſ. pulveriſ.* ʒvj. *Ol. Laur.* ℥j. *Unguent. Roſ.* ℥*viij.* f. Unguentum. Cujus ℥ij inungantur crura & tibiæ, a talis ad genua, & brachia, a carpis manuum ad humeros; tantillum etiam inungatur ſpina dorſi; ſufficit hoc pro primo die. Deinde die ſequenti ℞. dicti unguenti ℥iv. quibus inungantur tibiæ. femora, & ipſa ſpina dorſi ab oſſe ſacro ad vertebras colli, brachia etiam a carpis manuum ad omoplatas; & ſi temperamento ſit robuſto, emunctoria etiam glanduloſa. Inunctio continuanda eſt donec ſigna expectata comparuerint; maxima tamen cum perſpicacia & animi præſentia animadvertendum eſt, immo potius tardius quam nimium feſtinanter procedendum eſt, ne inopinata Mercurii activitas ex improviſo ægrum adoriatur. Vidi quandoque in corpore non uſque adeo delicatulo emotionem ecitatam a prima inunctione poſt inunctionem bis

terve

terve peractam, paulum ſiſtendum eſt: & ſi ex unius diei intervallo nulla appareant Ptyaliſmi præcedanea, exhibeatur doſis permodica *Sublimat. Dulc.* ex cujus uſu vidi quandoque ſalivationem copioſiſſimam excitatam fuiſſe, & ſi forte ſalivatio languidior evaſerit idem medicamem ad doſin unam eamque permodicam aſſumptum, eandem denuo reſtituet. Quod ad tempus ſalivationis attinet, eo uſque duret donec ſymptomata diſparuerint, niſi ægri vires proſtratæ contrarium indicent. Cum ſalivationem ſiſtere animus fuerit, exhibeantur *Alkalia* vel *Flor. Sulphur.* (quæ *Mercur.* deorſum præcipitant) quæ vel per ſe ſola uſurpentur, vel una cum *Purgativis* tenioribus quæ etiam de *Diureticorum* natura participare debent.

Signa Ptyaliſmum advenientem præcedentia ſunt, defectus Appetitus, Ardor Uvlæ & Palati, Dentium Vacillatio, Gingivarum Intumeſcentia, Spiritus ſeu Halitus fetens, Torpor & Hebetudo ſine Somno, &c. Deinde fluere incipit aqua quædam pituitoſa & albeſcens, cujus quantitas augetur per 6. 7. vel 8. dies, aliquando diutius, ad 5. 6. aut 7. lib. unius diei & noctis ſpatio. Si fluxus nimium ſit vehemens, ex nimia unguenti inunctione, obſtanda ſunt Symptomata hujuſmodi fluxum comitantia, ope *Potionis Laxativæ*: cavendum tamen ne fluxus in aliam ruat Portam, ex Laxativo adhibito.

Si Acrimonia Corroſiva materiæ fluentis Ulcera in Palato & Faucibus producat; unde extrema anxietas & moleſtia oritur, proluantur Gargariſmate aliquo leniente ex *Lacte & Aqua part. æqual.* confecta, vel *Decocto Seri Lactis*, & *Semin. Pſyll.* Si ulcera impura ſint & corruptæ carneæ partes iiſdem adhæreant, abluenda ſunt mixtura ex *Oleo Sulph. per Campan.* & *Spir. Vini.*

Enemata etiam refrigerantia & humectantia ſæpius exhibeantur, ſi poſtulet occaſio; fiant autem ex *Decoct. Salviæ Rut. Fœnicul. Endiv. Cichor.* cum *Melle* --- vel *ex Juſculo Pullorum* vel *Sero Lactis.* Quæ torminibus ventris, ex acrimonia humorum deorſum vergentium oriri ſolitis efficaciter obſtant.

Regulæ quæ *Diætan* ſpectant variæ ſunt, pro vario

ægroti

ægroti temperamento. Liquidiora præſtant; alimenta talia ſint quæ naturam ſuſtinere valent; ova 2. recentia pro prandio, & juſcula confecta ex carne vitulina, bubula, vel pullinacea, cum *Cichoreo*, de quibus bibat ſingulis 3. vel 4. horis. Potus etiam nutritii concedi poſſent. Sed eligantur tales, qui bonum licet modica quantitate, nutrimentum ſuppeditant. Si æger temperamento ſit calido, tempore ſalivationis exhibeantur *Poſſet a Refrigerantia*, *Panatella* etiam tenuis, & *Aqua Hordei*. Quod ad formulas præſcribendi attinet, illæ regulandæ ſunt pro natura Indicantium quæ ſe produnt. Hoc ſemper memoriæ tenendum eſt Pectore, naturam a ſubitis & violentis motibus abhorrere; proinde Salivatio cum ſatis evecta fuerit, & omnia diſparuerint, Symptomata, gradatim (ſecundum methodum hactenus præſcriptam) ſiſtenda eſt, ſi natura ſua ſponte eadem determinare ſatagat. Alimenta etiam nutritiva majori quantitate, ſub finem indulgenda ſunt, ut ægrotus vires amiſſas recuperet.

Licet Salivatio rite & ſub peritiſſimorum ductu peracta fuerit, non raro attamen remanent impuræ quædam ſordes & recrementa, quæ (prout vires ſuppetant) eliminanda ſunt ope Catharticorum, Diuretic. Balſamic. & Cardiac. Diaphret. Incumbit etiam medico, ægroto injungere (a Salivatione) potum quemdam Diæteticum per dies 20. aut 30. continuandum, Intercalato Purgativo, quoque ſexto die, & Diaporetico, quoque quarto, ſi vires permittant. Exempl. grat.

℞. *Raſur. Ling. Guajac. Cortic. ejuſd. bene contuſ. aa.* ℥ij. *Salſaparill.* ℥vj. *Chin.* ℥iv. *Saſſaphar. Liquirit. aa.* ℥ij. *Radic. & Cort. Mezeron.* ℥j. *Bacc. Iuniper. Sem. Fœnicul. Dulc. aa.* ℥ij. *Lign. Rodii* ʒj. *Santal. Omn.* ℥j. *Aq. Fontan.* lib. *xvi.* Coque ad Medias, de quo bibat æger lib. ij. ſingulis diebus, & ſi unicuique Lagenæ addantur Tincturæ alicujus Mentallinæ aut Mineralis gut. xx. mira efficacia præditum eſt in viribus corroborandis, & perfecta denique ſanitate denuo reſtituenda.

Methodus hæc perraro curam non conſequitur; hoc tamen

tamen quandoque evenit, quod ſi os materia ſubtili venenata pertingatur;) licet reliqua diſparuerint ſymptomata) tamen numquam curabitur donec pars affecta dilatetur, & os denudetur & ope cauſtici actualis exſoliatio promoveatur, ſive cranium ſive brachia, ſive tibiæ, ſive ullum aliud os, afficiantur. Hæc methodus omnibus aliis expeditior & tutior eſt. Pulveres detergentes & exſiccantes rite applicati os denuo ad naturalem ſtatum reducent. Cum denique omnia munda & pura appareant, gradatim denuo obducatur (ſed ſi continuetur affluxus materiæ, ne nimis præpoſtere ad obductionem procedatur) multi ſunt de ægrotis qui oſſium denudationem ægre ferunt, neceſſitas attamen dura eſt magiſtra, & delicatulos, ſi ſanitati ſuæ conſulere velint, ad refugium hoc abſolute neceſſarium tandem conſurgere cogit.

Siquidem Caput hoc de Lue Venerea ad Umbilicum perduximus, nihil reſtat niſi ut Tractatui huic de Morborum natura & cura extremam admoveamus manum, & Lectori Valedicamus. Interea autem ne hoc Lector ignoret multa alia nobis ſuppetere Remedia, ab hic præſcriptis, diſcrepantia, quæ majori cum efficacia & ſucceſſu, pleroſque morbos diſpellunt, ſed hæc omnibus nota facere vix expedit, ſufficit tamen quod Remedia in hoc Libello memorata omnibus vulgatis palmam præripiant, & ſæpiſſime bono cum ſucceſſu uſurpantur. Si quæ ſint magis Chymicis quam aliis familiaria, quæ non facile comparari poſſunt: haberi poſſunt: omnia ad noſtras ædes, ut & apud Gulielm. Ruſſel, M.D. *in iſta platea; quæ vulgo dicta* Barbican, Vel Eduardum VVright, Med. Chym. *in* VVincheſterſtreet; Vel, Franc. Moult, Chym. *in* VVatling-ſtreet, *Viros Arte Chymica longe Verſatiſſimos.*

F I N I S.